8 坤 quēn (c2)	7 艮 kén (8)	6 坎 càn (c5)	5 巽 siuén (7) 八卦 pǎ quá	震 chín 4 (3)	離 lî 3 (6)	兑 tuí 2 (4)	乾 kien I (cI)
maior in 太陰 tái in		minor yam 少陽 xao yam	四象 sú siám	minor in 少陰 xaò in		maior yam 太陽 tái yam	
陰 in			兩儀 leâm ŷ		陽 yam		
Radix prima et summa origo 太極 tái kiě rerū inexhauribilis							

Hâc mappâ uidetur fŏ hi, ordinē productionū rerū significare uoluisse; nā in lib yĕ kim par. 3. f. 16. p. 1. §. 1 legūtur hæc uerba 太 tái 極 kiĕ 生 sem 兩 leàm 儀 ŷ. 兩 leàm 儀 ŷ 生 sem 四 sú 象 siám. 四 sú 象 siám 生 sem 八 pă 卦. quá. scilicet tái kiĕ produxit duo ŷ, hæc duo ŷ produxerūt quatuor imagines, et hæ produxerūt octo sortes, seu quá difficile tamē est clarè percipere quid ueniat nomine ŷ, quæ nā determinatè sint quatuor imagines, et octo quá; ignorātenim per ignoriam libri sinici uidētur explicare, hinc factū puto, ut in usu libri yĕ kim Sinēses aliquātàm longè à uero aberrauerint. nomine tái kiĕ nō dubito quin Sapientissimi Prisci Deū causā primā rerū omniū definire uoluerint, ut patet ex supradictis nomine in yam præcipuè terram, et coelū significāt; attamē ità deinde miscēre et cōfudūt, ut uix scias qui verū sint,

Admodum Reverendo in Chro Patri
P. Michaeli Angelo Tamburino
Societatis Iesu
Præposito generali.



Specimen sapientiæ hieroglyphicæ
priscorum Patriarcharum,
reconditæ in vetustis Sinarum monumentis.
Pars posterior.
De sacris mundi fastis, seu
Mystico temporum propheticorum systemate,
eruto ex dictis Monumentis.

Admodum Reverende Pater

Duobus annis proximè elapsis, ad obsequendum pergrato
Paternitatis Vestræ adm. R.dæ mandato, jam misi Romam partem
utramque hujus Speciminis; nondum tamen cum eo stylo methodo
et claritate, quam novitas et excellentia materiæ postulabat.
Sed quia pars posterior, quæ agit de temporum propheticorum systemate,
fuit nimis celeriter conscripta, et ideò non potuit adæquate com-
plecti Ideam generalem tam vasti Systematis, quale non obscurè
se prodit sub cortice ænigmatico et hieroglyphico purioris et anti-
quioris Sinarum traditionis: nunc quò suppleatur utcumque huic
defectui, simulque subjiciantur oculis virorum verè eruditorum
et primævæ sapientiæ mysteria hieroglyphica non aspernantium,
physicæ et mathematicæ rationes, quibus videtur niti totum hoc
symbolicum meoque judicio verè divinum systema, aliunde mani-
festè fundatum in miro consensu communis Sinarum traditionis,
cum maximè recepta in toto orbe christiano traditione, et omnino
aptum ad retegendos insulsos errores totius fabulosæ traditionis,
innixos solis genethliacorum computis, ac similibus ejusmodi
impostorum pravis artibus, e Sathanæ officinâ ad illudendum generi
humano profectis: nunc, inquam, mihi visum est idem hujus
posterioris partis argumentum iterum ad incudem revocare,
eique subjungere, si non omnes, saltem præcipuas figuras nume-
ricas

cum algebrico et magico artificio arcanis et sacris mysteriis undique
pleno constructas, et ab omni aevo a Sinis diligenter servatas, tan-
quam fontes et receptaculum temporum propheticorum, in suo
aenigmatico systemate ye Kim, et caeteris hieroglyphicis tradi-
tionibus, veluti sub sigillis reconditorum; Et pro faciliori intel-
gentiâ magici artificii dictarum figurarum, quae nobis prae-
bent veras et strictè dictas in rigore mathematico demonstra-
tiones totius hujus mystici systematis chronologici; his super-
addemus plures alias figuras analyticas, cum iisdem essentia-
liter connexas, nec ullis diversis principiis suffultas; ac demum
ut ab ipso mendacio, et a prophano omnium Illusionum gurgite,
veritatis confirmationem eruamus; utrique praedicto figu-
rarum generi, addendas insuper judicavimus diversas alias
figuras, ex aliarum gentium Infidelium penuario excerptas,
quae quidem propter quandam exteriorem, quam videntur ha-
bere cum istis supradictis similitudinem, et analogiam sed planè
spuriam, cum iis per oppositionem comparatae, illico suadebunt totius
illusionis, quo teguntur, fuco prorsus dissipato, totum earum
artificium non referendum esse, nisi in ipsum Principem
tenebrarum, qui se in Angelum lucis transformando, et sub
fucatâ similium inspeciem mysticarum figurarum formâ
confusam et perturbatam sacrorum temporum seriem dolosè
reconditam, tradendo suis ministris, innumerae hominum
multidini illusit ubicumque terrarum.

Pro plenâ tam multarum tamque diversarum figu-
rarum expositione solâ, necessarium esset volumen
integrum satis fusum; sine quo subsidio, homines ha-
bentes animum prorsus alienum a mysticis sapientiae
hieroglyphicae Ideis, quales sunt ii, quibus hic stipatus
non sine maerore vivo pluribus abhinc annis, nunquam
percipient praesentis systematis soliditatem et excellen-
tiam. Verùm habitâ ratione superioris eruditionis
illorum Virorum, quibus Paternitas V.a dignata est
mihi significare, scripta isthuc a me transmittenda,
uti Judicibus omni ex parte competentibus illicò commit-
tenda: neque dubitans eorum mentem primaevae sa-
pientiae Ideis, et nonnullis hieroglyphicis seu aenigmaticis ac sym-
bolicis priscorum sapientum, praesertim orientalium
longo studio et labore esse bene imbutam: judico forent brevissima
Expositio nunc a me singulis dictis figuris pro temporis
angustiis subjungenda, ejusmodi viris planè sufficiat,
simplicissimi sed verè magici singularem ad percipiendam
artificii rationem, cum vi omnium demonstrationum
ex iis deducendarum, pro astruendâ certitudine systematis
mox exponendi.

Observationes necessariæ
pro reserando aditu ad arcana
Sapientiæ hieroglyᶜᵃᵉ Sinensis Mysteria

Nimis speciosa et à nemine expectata novitas Argumenti, quod hic mihi proposui exponendum, sola, non diffitebor, sufficeret, ad illud totum cum suo Autore penitus deprimendum, in animo omnium sapientum, eorum inprimis qui diutius insudarunt in indagatione rerum ad sacram temporum doctrinam attinentium; nisi perantiqua et pretiosa monumenta, hucusque orbi Europæo minus nota, unde totum temporum propheticorum systema sacrum in lucem prodit, haberent originem æquè puram ac sanctam. Quapropter antequàm hujus divini systematis expositionem aggrediamur, præmonendum 1ᵒ hic omnino refricandam esse lectori memoriam quorundam, quæ in scriptis anterioribus à nobis jam prolata sunt, ad eluidandam veram originem totius vetustæ traditionis Sinarum, in eorum libris canonicis contentæ, præsertim in illo ænigmatico libro ye Kim, quem tota natio semper reverita est, tanquam fontem genuinum et universalem sapientiæ hieroglyphicæ, et fœtum proprium magni Fohi, parentis totius litteraturæ symbolicæ, hoc est veri Trismegisti prædiluviani; quem mihi videor in dictis scriptis jam demonstrasse cum sufficienti validitate et evidentiâ, non alium fuisse, quam S. Patriarcham et prophetam Enochum; ac in præsenti novis nec minus solidis argumentis Deo assistente confirmabo.

Pro 2.ᵈᵃ præmonitione rogandus lector, ut revocet pariter in memoriam, id quod versus initium eorundem scriptorum à nobis traditum est, de Ideâ generali doctrinæ ye Kim, et cæterorum librorum canonicorum, ibi à nobis reductæ ad triplicem mundi statum, mundi scilicet cum omnimodâ perfectione, et sine ullo vel minimo defectu à Deo primò conditi; 2ᵈᵒ ejusdem mundi statim rebellem et pervicacem adversus Conditorem (planè corrupti per suum, dementiam principis naturæ Angelicæ, et primorum generis nostri parentum; denique mundi sursum ac deorsum tam citò corrupti, posteà reformati et reparati, etiam cum majori excellentia, per ipsummet ejus Creatorem, nempe Unigenitum et æternum Dei filium, subsecuto tempore eâ de causâ Incarnatum. cujus doctrinæ sacræ anacephalæosim, à nobis in hoc triplex caput jam dudum fœliciter distinctam, et Regio Imperatoris ipsius suffragio, post hujus serium examen, semper ex eo palàm approbatam, prisci sapientes olim ingeniosissimo hoc triplici tien ti gin, symbolo hieroglyphico convenientissimè adumbrarunt; si quidem horum primum, characterem jeroglyphicum cœli tien continens in orbe purè lucido sine ulla umbræ et tenebrarum admistione, pulchre repræsentat fœlicissimum mundi primò conditi statum,

Tien
1 天
3 人
gin
2 地
Ti

in quo humana et Angelica natura Justitiæ originalis lumine repletæ nesciebant prorsus tenebricosos cœcæ cupiditatis tramites: 2um è contrà in orbe sursum ac deorsum merè obscuro continens Jeroglyphicum Terræ characterem ti, non minùs congruè exhibet 2um mundi corrupti statum, in quo utraque natura Intellectualis, amisso Justitiæ originalis splendore, cæperunt in densis concupiscentiæ tenebris ambulare. 3um denique hominis Jeroglyphicum characterem gin, oculis objiciens in orbe partim lucido partim tenebricoso, cum eadem simplicitate et Elegantiâ subjicit aspectui nostro 3um mundi, scilicet generis humani reparati et reformati statum, in quo homines noxæ originalis et et propriæ cupiditatis cœcâ caligine circumsepti ex unâ parte, Ex aliâ verò cœlesti Divini sui Reparatoris, (qui verus est Sol Justitiæ, et sola lux, quæ illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum) documentorum et exemplorum splendore collustrati; alii noctuarum instar suarum tenebrarum amantes, non nisi carnales et opacas terræ semitas terunt, quæ ducunt in profundum æternæ noctis et mortis abyssum: alii verò per beneficos gratiæ seu solis Justitiæ radios, veluti è nocturno cupiditatis somno excitati, decurrunt cum alacritate cœlestes legis Evangelicæ seu spiritûs reformati ac renovati vias, certò ducentes ad vitæ æternæ lumen beatificum.

Suppositâ tantâ conformitate traditionis sinensis cum nostrâ, quoad diversitatem triplicis mundi status, cujus distincta notitia est veluti basis fundamentalis totius Legis Evangelicæ; et ex intimâ notitiâ, quam mihi videor jam habere principiorum cosmopœæ libri ye Kim sic dicti ab universali omnium in mundo contingentium mutationum complexu, qui præter physicum videtur continere cæterarum scientiarum systemata, ita inter se et cum ipsâ Religione unita, ut omnes sic invicem simul conjunctæ, non constituant nisi unicum et perfectissimum hieroglyphicæ sapientiæ systema: prænotandum 3º. etsi primæva sinarum traditio, è fundamentali libri ye Kim doctrinâ, videatur planè cohærere cum sacrâ nostra doctrinâ, circa triplicem mundi statum, nihilominus quædam ejus principia physica, meo judicio cum ratione et sacrâ scripturâ benè cohærentia et solidissima, sicut cæterarum scientiarum principia in eodem contenta; videri planè contraria certis opinionibus inter nos sat communibus, et præbere lucem necessariam ad eas eliminandas è christianorum scholis. Sic v.g. quia juxta fundamentalem libri ye Kim doctrinam, prisci sapientes triplicem mundum, Anteriorem scilicet posteriorem et Intermedium juxta tres diversos ejusdem mundi status: Et Interpretes (distinguunt) recentiores non faciunt jam mentionem nisi priores et posterioris, id est mundi primò formati et ejusdem postea reformati; veluti abolitâ secundi seu Intermedii memoriâ; cùm ex summâ dei infinitè miserentis sapientia non permiserit hunc secundum in meris tenebris et plenâ corruptione sepultum mundi statum vel uno momento perseverare: Et insuper Antiqui æquè ac moderni uno ore pronunciant, neminem posse ritè loqui de verâ formâ prioris mundi status, sien tien puco yen; de hoc id solùm certò sciri, nempe Deum optimum tunc nullo ferali signo aut sinistro phænomeno terruisse orbem. hao tien pu chui hium siam; ac demum solum cosmopœæ ye Kim systema,

[圖書編]或問易有先天何也曰先天不可說也有說非先天也然則伏羲何以有圖曰凡圖皆後天也伏羲之圖何以稱先天曰先天不可圖也不可圖而不圖伏羲惧無以示天下故以其不可圖者寓于圖以示之意使天下即圖而求其所以然之故

圖書編論先天曰昊天不垂凶象

[易傳]天地定位山澤通氣雷風相薄水火不相射

註所謂先天之學也

utpote complectens omnes quotquot ab initio usque ad finem
contingunt mutationes in mundo notabiliores, unicè pertinere
ad posteriorem mundum, seu Mundi reformati Statum: quia,
inquam, nil aptius hâc primævæ Sapientiæ hieroglyphicæ
sincerâ traditione, ad delendam nimis vulgarem et illi con-
trariam opinionem, in eorum animo, qui sine ullo solido
fundamento, in Megacosmo, seu mundo visibili, post naturæ
integræ corruptionem, vix alias mutationes factas esse agnos-
cunt, quàm eas, quæ paucis verbis referuntur sub finem —
capitis tertii genesis; et quas ipsi restringentes ad solum orbem
terrestrem et mundum sublunarem, simul gratis supponunt,
ingentes illos defectus, sive ordinis in incondita stellarum præ-
senti dispositione; sive luminis in eclypsibus solis et lunæ;
sive uniformitatis et rectitudinis in vagis planetarum motibus;
sive jucunditatis in phænomenis cometarum, in cælo omnium
oculis, conspicuos; et cætera ejusmodi Ingentis aut mutationis
aut alterationis signa, esse meros effectus connaturaliter consequentes
ex primâ mundi formatione. quod ipsimet viderint, quomodò
possit conciliari, non dico, cum primævâ hieroglyphicæ libri Ye
Kim sapientiæ traditione iis ignotâ; sed cum ipso sacro genesis
textu, ex quo constat primum mundi opificium fuisse quoad
omnia et ex omni parte perfectissimum, et sine ullo vel mi-
nimo defectu: et consequenter referendos esse ad mundum posteri-
orem, seu ad 2dum mundi mutati seu reformati statum defec-
tus omnes suprà allegatos, et omnes alios seu mutationes seu
alterationes, uti primæ mutationis effectus, vel signa futuræ, relatas in
ipsâ sinensi traditione, et ad triplicem Universi Regionem, nem-
pe supremam, mediam et infimam æquè spectantes; propter mu-
tuam et reciprocam singularum mundi partium sympathiam et
connexionem, juxta æternas divinæ sapientiæ leges, in Universo
ab ejus Auctore stabilitas, in unum et eundem scopum, veluti
communi et perfectè harmonicâ concordiâ concurrentes.
quis enim homo Christianus et verè philosophus, attentè consi-
derando, hominem, propter quem Deus in principio fecit Cælos, —
terram et omnem ornatum eorum, voluitque cæteras res crea-
tas ab initio ipsi tanquam proprio Domino esse subjectas; tanti
beneficii oblitum, statim ad partes Inimici sui Rebellis, pariter
Rebellem perfidè defecisse; quis, inquam, continuò non agnoscat
cum primo sinensium traditionum Auctore; eum, propter —
tantam perfidiam factum esse omnino dignum, in quem cæteræ
omnes creaturæ, divinæ offensæ vindices, simul insurgerent;
et fuisse è supremo dei sapientiæ consilio, ut pristino mundi
primò conditi pulcherrimo ordine et ornatu perturbato, et im-
mutatis — legibus motuum in supremâ mediâ et infimâ Uni-
versi Regione initio ab ejus Conditore stabilitis, his alias planèque
diversas sufficeret, quæ secum traherent omnes illas altera-
tiones, vicissitudines, et corruptiones, et insignes illos defectus,
qui ex eo tempore in dies, menses et annos, ac successivè per
omnes generationes cœperunt sine interruptione, at non sine
terrore observari in presenti hujus mundi corrupti statu. quæ
omnes mutationes etsi meritò censeantur verè imperfectiones, —

reipsâ tamen sunt et dicendæ sunt reales et maximæ perfectiones respectivè ad præsentem mundi corrupti, id est ad lethiferam totius generis humani corruptionem, et ad arcanum divinæ sapientiæ consilium, ex infinitâ suâ misericordiâ volentis omnium corda corrupta reformare et renovare, et omnes gentes ad perfectam et æternam pristini status fœlicitatem revocare.

Si porrò licet philosopho christiano (cur autem non liceret) sic sentire de omnibus ejusmodi mutationibus ac phænomenis terribilis, in præsenti mundi corrupti statu tam frequenter recurrentibus, quàm in primo naturæ integræ et primævæ fœlicitatis tempore toti mundo ignotis, juxta vetustiores Sinarum traditiones, ex illo ab iis tam decantato libro mutationum yekim, ejusque Autore fohi vero Trismegisto prædiluviano, primitus profectas; quibus refertur, in hoc aureæ ætatis primordio, non visum esse in cœlo ullum sinistri ominis signum aut phænomenum, hao tien pu chui hium siam; quodnam judicium præsumendum est ferendum à sapientioribus inter viros doctos Europæos, de quibusdam traditionibus selectis, jam alibi prolatis, quibus earum Auctores docent, primævæ ætatis fœlicitatem finem invenisse in feroci Luciferi in Deum rebellione, in Sinensi traditione descripti, modò sub typo principis, primæ rebellionis Antesignani, modò sub typo indomiti draconis, qui superbiæ alis sursùm abreptus, et ad latera aquilonis in cœlestem fornicem cornibus impingens, dicitur mundi axem perfregisse; concussisse totam mundi machinam, commovisse omnes cœlorum virtutes et ipsos stellarum globos, è suis fixis sedibus dimovisse, harum pluribus nativâ luce extinctâ versùs sphæram planetariam detrusis, ex eo hiatibus in cœlo et ruinis undequaque patentibus; et ingentibus in terrâ voraginibus, usque ad fundum abyssi caliginosæ perviis: hoc est, ne discedamus à vero et proprio sensu harum symbolicarum et ænigmaticarum traditionum, qui fuit causa moralis, cur primus motor

[史記]論先天之吉時民神異業.敬而不瀆.故神降之嘉生.民以物享.災禍不生.所求不匱.[傳云]旻天不垂凶象.[淮南鴻烈註]共工天神也.蛇面人身.[綱鑑]共工任智自神.俶亂天常.[史記]共工任智自神.[路史]共工自聖其智.以為亾可臣者.[易明夷卦]初登於天後入於淵.[易乾卦]亢龍知進而不知退.[品字箋]與帝天角.[淮南子]共工與顓頊爭為帝.怒而觸不周之山.天柱折.地維絕.天傾西北.故日月星辰移焉.[綱鑑]共工振滔洪水.[穀梁傳]恒星不見.夜中星隕如雨.

[中庸] 大哉聖人之道.待其人而後行.云云 [日講] 唯繼天立極之聖人出而宰世.
其道乃有專屬.天明地察.萬物得所.禮樂興而教化成. [楚辭天問] 圜則九重.
孰營度之.八柱何當.東南何虧.日月安屬.列宿安陳.

Seu mundi Reformator à poëtis olim non ineptè adumbratus,
sub typo Atlantis magni Jovis filii, et Regis mauritaniæ, Seu æthi-
opum populi noxæ originalis et propriæ malitiæ fuligine infecti;,
ruenti cælorum machinæ veluti humeros supponens, illincqi
axem in oppositam situi priori partem convertens, mutato
subinde pristino stellarum ordine, cursu planetarum, et elemen
torum temperamento, posuerit in mundo novam dispositionem,
causarum, quæ simul concurrunt ad omnes alterationes seu
generationes, qualis scilicet in arcano suæ sapientiæ consilio —
ipsi visa est omnium maximè conveniens, tum præsenti naturæ
nostræ corruptæ statui, tum salutari ipsius nos reformandi
seu renovandi decreto, etiam cum majori excellentiâ; quàm in
priori formatione.

Positâ hâc novâ Astrorum et Elementorum dispositione,
quam ipse textus Scripturæ sacræ et aliæ traditiones videntur
necessariò supponere, siquidem constat non posse assignari cau-
sam magis congruam et connaturalem omnium mutationum, —
quas omnes nixi auctoritate sacrâ agnoscunt, statim post lapsum
primorum parentum factas esse ——, sive in totâ habitudine eorum
corporis, ex eo subjecti fami, siti et aliis innumeris infirmitatibus
et morbis, mortis pariter prænunciis; sive in genere viventium et
cæterarum vitum quæ omnes —— amissâ naturali suâ mansuetudine
et docilitate, sibi imperatam à Creatore erga hominem obedientiam,
tum præstare destiterunt, cùm primùm cœpit ipse reus esse —
negatæ eidem Creatori Domino suo obedientiæ; pluribus etiam ex
illis blanditiæ in rabiem versâ, unguibus dentibus, aut veneno
veluti in ejus perniciem armatis; sive in terrâ, quæ privatâ
priori fertilitate cœpit ubique germinare tribulos, spinas et plures
alias plantas noxias et venenosas. Sive, ut finem faciam, in mari,
in aëre, et in superioribus cælorum orbibus, cui enim alteri causæ
tribui possent effrænata maris veluti subirati fluctuum et pro-
cellarum violentia, nimia imbrium copia, æstus, siccitatis et caloris
vehementia, incondita temperies anni tempestatum. ac demum
ut sermo recurrat ad eas mutationes
seu feralia phænomena aut signa
terrifica in traditione sinensi —
recensita, tanquam priori mundo,
et Justitiæ originalis aureæ ætati
prorsus ignota, quales sunt v.g.
eclipses, cometæ, stellarum casus,
fulmina, tonitrua, ingentes aqua
rum eluviones, igne cælesti excita
ta incendia, montium subitò fa
tiscentium casus, rupium in se
mutuò impingentium contritiones,
repentina fontium et fluminum —

[淮南] 往古之時.四極廢.九州裂.天不兼覆.地不周載.火爁炎而不滅.水浩洋而不息.猛獸食顓民.鷙鳥攫老弱.
[路史] 自太康失德.天厭災流.四國亡政.不用其良.日月告凶.不用其行.
[十三經] [穀梁序] 昔周道衰陵.乾綱絕紐.禮壞樂崩.彝倫攸斁.殺逆篡盜者國有.淫縱破義者比肩.是以妖災因釁而作.民俗染化而遷.陰陽爲之愆度.七曜爲之盈縮.川岳爲之崩竭.鬼神爲之疵厲.[圖]左傳云.天反時爲災.地反物爲妖.人反德爲亂.亂則妖災生.是故災因釁而起也.云陰陽愆度者.爲冬溫夏寒.夫其節度.云七曜盈縮者.謂日月薄食.

[淮南] 共工與顓頊爭爲帝.怒而觸不周之山.天柱折.地維絕.天傾西北.故日月星辰移焉.地不滿東南.故水潦塵埃歸焉.

exsiccatio, uno verbo totus creaturarum concentus planè perturbatus, et tota natura instar confusi Cahos veluti in informem massam redacta.

Cujus ingentis confusionis, cùm antiquus Serpens Satanas fuerit vera radix et causa moralis, sicuti ejusdem causa physica fuit mundi Conditor Deus, qui solus habet in manu suâ potestatem Creationis et destructionis, et sic confusum Universum illico reformavit ratione omnium convenientissimâ salutari suo Naturæ nostræ renovandæ et reformandæ decreto; hinc intelliges originem illius antiquissimi Erroris; seu hæresis, quæ circa initium primæ mundi ætatis, confundens has duas causas inter se tam diversas, nec moralem à physicâ distinguens, duo diversa rerum omnium —— principia physica invexit, —— unum scilicet bonum et beneficum, verùmque bonorum omnium Auctorem; alterum verò malum et maleficum malorùmque omnium Architectum, simul præscribens sacrilegum utriusque supremum cultum. Hinc Intelliges præterea originem alterius Erroris non minùs nec fortè minùs antiqui, proprii scilicet (pestiferi illorum Atheorum seu Atheopoliticorum, qui sicut hîc ab aliquot sæculis quidam sophistæ majoris nominis sub dynastiâ Sum, et sinceræ yĕKim doctrinæ veri corruptores, qui in eâ advertentes mundum posteriorem, id est præsentem, ex alio mundo anteriore planè confuso, ac veluti in informe Cahos redacto, prodiisse, hunc quoque etiam aliquando veluti dissolvendum et finem habiturum; inde sophisticè ratiocinantes et hæreticorum à primævæ traditionis veritate recedentium more, statuerunt, post mundi præsentis dissolutionem, novum similiter ex eo, ac subinde alios ex aliis sine numero, veluti fatali quadam necessitate in perpetuum renascituros.

Sed ne hoc assertum nostrum de mutationibus in cælo factis &c, alibi novum aut Exoticum videatur, sicut hîc visum est nonnullis, modernis, contendentibus omnia cælestia phænomena, etiam ea quibus gentes omnes ab omni ævo maximè terreri consueverunt, quales sunt v.g. Eclypses et cometæ esse effectus connaturales prioris mundi: nunc præmonendum 4º tam contrariam asserto nostro opinionem, videri pariter oppositam sacræ traditioni, et obvio ipsius genesis sensui, cum quo consonat perfectè genuina libri mutationum ye Kim doctrinâ, dicti ●, à mutatione situs et motus respectivi solis et lunæ, [Sic] qui inde facti sunt principia mutationum, id est omnium alterati-

【古傳】日月爲易.【乾卦】夫大人者. 與天地合其德. 與日月合其明.【易國】易爲無形之聖人. 聖人爲有形之易.

【易傳廣義】按天上地下. 日東月西. 山鎮西北. 澤注東南. 風起西北. 雷動東北. 此造化自然之迹. 先天之易. 所以爲妙也.【綱鑑大全】爰定三辰. 是分晝夜. 註天地開闢

alterationum et corruptionem, sicut omnium generationum in præsenti mundi corrupti et reformati statu contingentium; siquidem definitio hujus libri mutationum perfectè hieroglyphici, patet in ejus nominis litterâ ye 易 hieroglyphicâ, ex Solis et lunæ characteribus compositâ. quæ Solis et lunæ conjunctio et in hoc mystico hieroglypho designat principium Regenerationis nostræ, nempe Solem Justitiæ hypostaticè unitum carni nostræ in lunâ adumbratæ et per ipsum lunæ characterem yue, qui significat carnem in sensu proprio designatæ; Sicuti eorundem luminarium conjunctio priori mundo ignota, et præsentis propria, est principium omnium generationum physicarum

{ye 易 { Sol / luna } yue

{ luna, 月 yue caro }

Ut igitur hic demonstremus ex Solis Ecly[...] quàm sit contraria, non solùm sapientiæ hun[...] sed etiam sacræ scripturæ traditioni, eorum op[...] negant factam esse ullam mutationem in cœl[...] vel in pœnam noxæ originalis, maximè quoa[d] motum Astrorum; ponderemus ut par est versu[...] primi capitis geneseos, in quo moyses refert cre[...] lunæ et stellarum. fecitque deus (sunt verba illi[...] duo luminaria magna, luminare majus ut præe[sset diei,] luminare minus, ut præesset nocti: et stellas. cujus sensus, meo judicio obvius et legitimus, hic est; [...] deus produxit lunam ut præsideret nocti, sicut so[lem ...] præsideret diei, cui tum toti a suo ortu ad occasum adæquatè præsidere cœpit globus solaris, quis non inferat inde, lunam pariter, ubi fuit producta, toti nocti à suo ortu usque ad occasum debuisse præsidere, et consequenter, ut fert traditio sinensis, solem eâ de causâ fuisse productum in plagâ orientali, lunam verò in occidentali, hoc est in plenilunii situ, in quo situ ut orbe plenè lucido, ut luminare magnum singulis noctibus integris luceret, uniformiter et sine ullo pleniluminis defectu aut decremento, tunc debuit esse extra locum directæ oppositionis, in quo solo contingunt eclipses lunares, et nullò modo potuit, relicto lateralis oppositionis situ accedere ad locum conjunctionis, in quo post immutatum primum hunc duorum majorum luminarium situm et motum respectivum, fiunt omnes eclipses solis. Cùm è contra luna, in præsenti mundi statu, propter continua, quæ patitur, lucis incrementa aut decrementa, et frequentem ejus accessum ad loca perfectæ conjunctionis et directæ oppositionis, jamdiu non possit, sicuti post creationem, pleno lumine et tanquam luminare magnum, singulis noctibus ab initio ad finem præsidere; et è contra propter suas vagas et inconditas revolutiones

Unde Interpres egregius hic in margine allegatus, exponens intimum et hieroglyphicum hujus litteræ sensum, id facit tam identicè cum sensu Xtiano modò prolato, sed tam sublimi stylo, ut licet vix possit à nobis reddi accuratè, ~~tamen~~, tamen ex eo clarissime percipiatur per hunc hieroglyphum significari sanctum m[undi] Reformatorem ante [ejus] Incarnationem spectatum.

古傳 日月爲易.

乾卦 夫大人者. 與天地合其德. 與日月合其明.

易國 易爲無形之聖人. 聖人爲有形之易.

alterationum et corruptionem, sicut omnium
in præsenti mundi corrupti et reformati ^statu^ conti[…]
si quidem definitio hujus libri mutationum pe[…]
glyphici, patet in ejus nominis litterâ ye 易
phicâ, ex solis et lunæ characteribus compositâ
et lunæ conjunctio et in hoc mystico hieroglyph[…]
principium Regenerationis nostræ, nempe sole
hypostaticè unitum carni nostræ in lunâ adu[…]
per ipsum lunæ characterem yue, qui signi[…]
in sensu proprio designatæ; sicuti eorundem lu[…]
conjunctio priori mundo ignota, et præsentis pr[…]
principium omnium generationum physicarum

qui divinus et profun[…] occurrit

Ut igitur hic demonstremus ex solis eclypsibus,
quàm sit contraria, non solùm sapientiæ hieroglyphicæ,
sed etiam sacræ scripturæ traditioni, eorum opinioni, qui
negant factam esse ullam mutationem in cælo, propter
vel in pœnam noxæ originalis, maximè quoad situm et
motum astrorum; ponderemus ut par est versum illum
primi capitis geneseos, in quo moyses refert creationem solis
lunæ et stellarum. fecitque deus (sunt verba illius versûs)
duo luminaria magna, luminare majus ut præesset diei, et
luminare minus, ut præesset nocti: et stellas. cujus textûs sacri
sensus, meo judicio obvius et legitimus, hic est; siquidem
deus produxit lunam ut præsideret nocti, sicut solem ut
præsideret diei, cum ^tum^ toti a suo ortu ad occasum adequatè præsi-
dere cœpit globus solaris, quis non inferat inde lunam pariter,
ubi fuit producta, toti nocti à suo ortu usque ad occasum —
debuisse præsidere, et consequenter, ut fert traditio sinensis,
solem eâ de causâ fuisse productum in plagâ orientali, lunam —
verò in in occidentali, hoc est in plenilunii situ, in quo ^situ^ ut orbe
plenè lucido, ut luminare magnum singulis noctibus integris luceret,
uniformiter et sine ullo pleniluminis defectu aut
decremento, tunc debuit esse extra locum directæ oppo-
sitionis, in quo solo contingunt eclipses lunares, et nullò
modo potuit, relicto lateralis oppositionis situ accedere
ad locum conjunctionis, in quo post immutatum primum
hunc duorum majorum luminarium situm et motum res-
pectivum, fiunt omnes eclipses solis. Cùm è contra luna,
in præsenti mundi statu, propter continua, quæ patitur,
lucis incrementa aut decrementa, et frequentem ejus
accessum ad loca perfectæ conjunctionis et directæ oppositionis;
jamdiu non possit, sicuti post creationem, pleno lumine et
tanquam luminare magnum, singulis noctibus ab initio ad
finem præsidere; et è contra propter suas vagas et inconditas
revolutiones

易傳廣義 按天上地下. 日東月西. 山鎮西北. 澤注東南. 風起西北. 雷動東北. 此造化自然之迹. 先天之易. 所以爲妙也.

綱鑑大全 爰定三辰. 是分晝夜. 註天地開闢

revolutiones debeat agnosci, ut verâ causa deliquiorum quæ ipsa et sol patiuntur; ex his deliquiis et Eclipsibus — prorsus alieniss a primo Aureæ ætatis Statu, in quo — nullum erat deliquium, defectus nullus; videtur conclu-di posse cum plenâ certitudine et Evidentiâ, factam esse ingentem mutationem in cælo sicut in terrâ post noxam originalem et mundi corruptionem; quam conclusionem facile esset Extendere, ad planetas et ad ipsas Stellas — fixas, nisi propositum hic mihi argumentum ab hoc nunc me revocaret.

Non possum tamen hîc omittere demonstrationem Jeroglyphicam, quæ se offert, ad suadendum cometas ipsos esse signa visibilia et Effectus patentes mutationis supradictæ: Et quæ tota pendet a simplici compositione hieroglyphicâ litteræ Sui, 彗 propriæ nominis et mysticæ definitionis Cometæ — omnium maximi, cujus cauda fertur in traditione Sinarum, occupare dimi-diam partem hæmisphærii cælesti, seu 90· gradus; et ibi dicitur esse signum militare seu Rebellionis Primi illius Sycophantæ dicti Chi yeu et in veteri chronico descripti — tanquam Autor primæ mundi perturbationis, quem esse Sathanæ seu luciferi typum alibi demonstravimus. cum Enim prædicta littera Sui 彗 ferat in capite geminum Supremi Domini characterem, videtur designare feralem Epo-cham ascensûs luciferi volentis esse similis Altissimi et in cælo rebellionis suæ signu in hoc cometa adumbratum Exigentis

Non obstante tot feralium phænomenorum et sinis-trorum alterationum fœditate, sub quâ veluti sepultæ jacent tota mundi prioris pulchritudo harmonia et felicitas; cum idem mundus, ob corruptionem universalem generis huma-ni contractam ex norâ originali fuerit reformatus, juxta Exigentiam miserrimi corruptibnis nostræ Status, et ex novis motuum regulis in eo constitutis cum Infinitâ sapientiâ divini nostri, respectivè ad modum salutarem nos reformandi et redimendi ab ipsomet decretum; hic 4.to loco præmonendum, hunc posteriorem mundum hic reformatum, etsi bonis et malis fere ex æquo permixtis plenum, non minus perfectum esse, et minus harmonicè absolutum, respectivè ad exigentiam præsentis Status, et ad scopum decreti de modo et ratione nostræ reparationis quam primævus — mundi Status, nullo vel levissimo defectu, aut ulla imperfectionis umbrâ infectus respectivè

[Left margin:]
chu
主
dominus
sursum
2. domini
Sui 彗
cometa omnium maxim. Signum Rebellionis.
Hinc aiunt Sinenses genethliaci hujus cometæ apparitionem esse Signum tumultuum et bellorum

[Right margin:]
古傳 彗星一名蚩尤旗;
史記 蚩尤之旗長則半天.

Auctor pretiosi illius mutationum libri cælitùs illustratus, diuque illud mysticum mundi Reformati opificium sursum deorsum et quaquaversum contemplatus, construendo magicam et symbolicam sui <u>ye kim</u> cosmopœam, in eâ expressit perfectum ectypum sacri et mystici illius libri in toto mundi Reformati opificio ænigmaticè conspicui, insistendo scilicet iisdem numerorum ponderum et mensurarum rationibus, quas divinus opifex omnia formando et reformando servavit simulque inhærendo cardinalibus cæterarum scientiarum principiis, quas Sapientia Increata voluit in mundi creationis et Reparationis opificio, supremæ omnium Reginæ, nempe Divinæ suæ legi uti servas et pedisequas famulari.

四書大全序 厥初聖人未生，道在天地。聖人既生，道在聖人。正易心法 凡此卦畫皆所以寫天地萬物之理於目前，亦若渾儀之器也。圖書編 先天不可說也，有說非先天也。凡圖皆後天也，先天不可圖也。易大全 理不離數。蔡九峯曰，嗟夫，天地之所以肇，人物之所以生，萬物之所以得失，莫非數也。數之體著於形，數之用妙於理。非窮神知化者，曷足以語此。

Jamverò, cùm mystica cæterorum librorum Canonicorum et totius veteris litteraturæ hieroglyphicæ doctrina, juxta consensum præcipuorum Interpretum, sit perfectè consona symbolicæ <u>ye kim</u> doctrinæ, totaque similiter spectet Sanctum Mundi Reparatorem, ejusque divinam legem, uti jam in scriptis antecedentibus cœpimus demonstrare, et Deo dante patebit cum plenâ claritate, antequàm pars utraque præsentis speciminis hieroglyphicæ Sinarum sapientiæ absolvatur; aliunde tamen in dictis monumentis hieroglyphicis, observetur continua, numerosa, et veluti historica sanctorum Regum seu Heroum series, à mundi initio, circiterusque ad tempus primi messiæ salvatoris adventûs, eaque in diversas tum prædiluvianas tum postdiluvianas dynastias distributa; et in iis legantur plurima plurium ex illis Heroibus eximia gesta et documenta, minùs hominum et Regiminis purè humani, quàm Dei Redemptoris et supernaturalis ejus et divinæ legis propria: præmonendum S.to hoc historiæ genus, saltem quoad ea, quæ leguntur in libris canonicis, qui sunt merè hieroglyphici et ænigmatici, et ex communi celebriorum Interpretum consensu, non agunt nisi de S.to Mundi Reparatore et ejus divinâ lege, ut modò jam insinuavi; videlicet purè mythicum ac symbolicum, et sanctos illius Reges seu heroas, de quibus tam multa et diversa ibi referuntur deo

程顥曰，五經載道之文。通書 文所以載道也。資治通鑑 六經以闡道爲主。抱朴子 六經爲道義之淵海。圖書編 六經皆心學也。人無二心，六經無二理。

ad Integritatem naturæ humanæ, et viam salutis in eo fælici statu determinatam. Unde dici potest citra ullam temeritatem, Infinitam Reparatoris sapientiam, non minori cum splendore relucere in 2.do mundi ab ipso reparati ac reformati, statu quàm æterna creatoris sapientia in primo ejusdem mundi opificio: ita prorsùs omnes divini Reparatoris nostri virtutes, et vias sacras sibi metu primò statutas pro inchoando et consummando opere Reparationis et Redemptionis nostræ, deinde nobis præscriptas, ad colligendum per ejus Imitationem salutiferum et beatificum tanti beneficii fructum; non minori cum splendore ubique fulgere in iisdem creaturis, consideratis secundùm mutationis statum ab ejus infinitâ sapientiâ introducte in mundum, tanquam medium convenientissimum et necessarium pro complemento perfecto divini sui nos reformandi et salvandi — Decreti. Quandoquidem totus, quàm latè patet, iste mundus visibilis, licet tam multiplici, tam fædo et ruinoso in speciem mutationum corruptionum, rerum nocivarum et phænomenorum terrificantium conglobato, veluti omnino deformatus; si tamen in hoc statu consideretur respectivè ad arcanum et profundum Reparationis et — Redemptionis nostræ decretum; quis verè sapiens, qui juxta doctrinam Apostoli utcumque assuetas res divinas in hoc mundo, veluti per speculum et in ænigmate contemplari; ibique invisibilia Dei, seu incomprehensibilia legis Evangelicæ mysteria, à creaturâ mundi intellecta conspicere, quis inquam, sapientiæ omnium antiquorum pariter studiosus, et in absconditis proverbiorum, parabolarum et ænigmatum versatus, non aspiciat cum sapientioribus Sinarum, et post Auctorem Expositionis antiquæ libri mutationum yĕ kim, totam orbis universi machinam, tanquam ingentem et universalem librum omnia sciti digna complectentem, atque imprimis quæcumque pertinent ad posteriorem mundum, in traditione doctrinæ ejusdem libri yĕ kim dictum sien tien, id est ad mundum Reparatum, vel ut clarius juxta mentem Interpretum ænigmatici hujus libri loquar, quicquid spectat sanctum mundi Reparatorem, et totam divinam ejus legem, in cælo et terrâ, in omnibus mundi plagis et orbium cælestium revolutionibus, cæterisque creaturis, veluti totidem typis aut characteribus symbolicis ita perfectè delineatam, ut divinus

易傳 易之爲書也。廣大悉備。夫易廣矣大矣。以言乎天地之間則備矣。易序 至哉易乎。其道至大而无不包。易傳 古者包犧氏之王天下也。仰則觀象於天。俯則觀法於地。觀鳥獸之文。與地之宜。近取諸身。遠取諸物。於是始作八卦。以通神明之德。以類萬物之情。周易全書 先儒謂天地間原有一部易書。開眼便見。聖人不過即其所見以模寫之耳。非聖人創爲之也。一部易全是象。 天地間皆是象。 象本於天垂象。伏羲作易以象示人而象之起義。則本於天垂象。傳云 易書未作。易之理在天地。易書既作。易之理在易書。

Salvatore nostro omnino digna, et nihil quod dedeceat ~~vide-~~ ~~atur~~ Ejus infinitam Sanctitatem, videri totidem typos diversos sacræ Ejus personæ, quod mihi videor jam abundè demonstrasse de quodam Heucie inter alios celeberrimo, in Scripto peculiari à duobus annis Romam misso, et continente non parùm fusum Expositionem unius odæ libri Canonici Xi Kim, intra breves octo Stropharum limites, prænuntiantis sub mythicâ heucie personâ præcipua messiæ Redemptoris propria gesta et mysteria ab Incarnatione ad Ejus Ascensionem. Quin et hoc idem jam paulò anteà cœperam demonstrare in priori parte hujus Speciminis, de primis Illius chronici Dynastis, sub mysticâ San hoam trium monarcharum, et ou ti, quinque Imperatorum titulo celeberrimis, adductis ad hoc astruendum argumentis, quibus tota Sinensium philosophorum schola non facilè opponet ullum legitimum responsum. Sicuti nec ipsis viris doctis in Europâ quicquam occurret, spero, quod meritò reponere possint, contrà alias similes rationes ibidem à nobis prolatas, ad persuadendum omnibus, duos Insignes Sycophantas, et perturbationum in mundo primos Auctores, sub nominibus Cum cum et Chi yeu nemini non notos, esse duos typos certissimos Luciferi, et nihil omnino pertinere ad Reales veréque historicas Annalium Sinensium narrationes. Sed quia hoc argumentum est summi momenti, et prædictam Sanctorum Regum Seriem, quoad Ea de iis referuntur in libris canonicis, non esse historicam (quæ sed verè mythicam ac symbolicam, quivis facillimè convinci potest, prorsus convenit ut quantocyus specialis de hoc jam dudum animo conceptus tractatus conficiatur.

Cùm præterea duo aut tres alii è Societate missionarii, qui diutiùs et feliciùs in studio librorum hieroglyphicorum Sinensium incubuerunt, idem circiter mecum sentiant de illis Regibus ac principibus, veteris chronici seu historiæ Sinensis, quos mecum judicant non reales et verè historicos, pariter existimantes cum ipsis Interpretibus, quæcumque de illis leguntur in eorum libris canonicis, Ea omnia referri unicè ac directè ad Sanctam Legem illius Sancti herois, quem reverentur et prædicant uti animam et unicum scopum totius Sapientiæ hieroglyphicæ in iis reconditæ: Interim possumus sine temeritate hoc supponere ut certum

Hoc supposito prænotandum 6°. totam illam historicam merèque symbolicam Regum veterum Sinensium Seriem, cum tota hieroglyphicâ librorum canonicorum Sapientiâ conne-

[詩經] 厥初生民時維姜嫄 [疏] 當祀郊禖之時有上帝大神之迹 [箋] 姜嫄未有子故禋祀求子上帝大安其祭祀而與之子
[經] 誕彌厥月先生如達不坼不副無災無害 居然生子 [析講] 上帝降格即有身耳無人道 [經] 誕寘之隘巷牛羊腓字之 寘
之寒冰鳥覆翼之 [疏] 天神又下與之以百種之福 [經] 其香始升上帝居歆 后稷肇祀庶無罪悔以迄于今

[四書大全] 六經之道明天地聖人 與聖人合非聖人合六經也 人為有形之易
[詩經考異] 張子語云六經 [易或] 易為無形之聖人聖

xam, et unicum Regum Regem nempe mundi Reparatorem Spectantem, habendam esse pro chronico purè cœlesti, et Astro-nomico diversis Solis et Lunæ periodis, nec non aliorum planetarum et Stellarum revolutionibus et dominiis ita annexo; ut sub illâ mysticâ tot periodorum et revolutionum Cœlestium catenâ, mysticæ Symbolici chronici Sinarum dynastiarum seu Regnorum seriei correspondente, non obscurè lateat tanquam sub velo ænigmatico et pellucido, tota series prophetica et veluti historica divinarum virtutum et mirabilium gestorum, illius Sancti Reparatoris, relucentium in toto Reformationis nostræ opificio, et in toto Regni Universalis — sibi à Deo Patre, in terrâ sicut in cœlo traditi — regimine, ab initio usque ad consummationem sæculi. Cujus cœlestis seu Astronomicæ historiæ speciem plures viri docti ritè observarunt in veteri chronico ægyptiorum, et hujus ope varia à nemine anteà intellecta feliciter exposuerunt. Sed quia vetus hoc ægyptiorum chronicum, cui non absimile hic extât, apud sectatores et magistros execrandæ sectæ Tao, non est nisi purum figmentum ministrorum Sathanæ, qui totum diabolicæ superstitionis systema construendo, falsorum suorum numinum Theogoniam et fabulosam eorum gestorum historiam descripserunt, ut hæc omnia opponerent æternæ et sacræ veritati historiæ propheticæ, unici et veri Numinis visibilis in cœlo et terrâ cum plenâ potestate Regnantis, primò in cœlo ab ipso suo Autore velut in speculo ænigmatico delineatæ, deinde à Trismegisto prædiluviano Sohi, seu à Patriarchâ Enocho divinitùs illustrato, pariter ænigmaticè et fideliter transcriptæ, in sub mystico mutationum libro Ye Kim, qui si audiamus graviores ejus Interpretes, quiquid est scibile in hoc mundo, — continere dicendus est, quantumvis breve sit ejus voluminis — compendium; et esse fidele Ectypum tam mutationum omnium, quæ in toto ejus ambitu, et singulis revolutionibus, quàm earum, quas sive dominus generis nostri Reformator continuò ab initio mundi in omnium nationum et generationum corde, infinitâ suâ gratiâ operatur — pro earum salute; sive quarum Antiquus seductor Satanas ubique fuit detestabile principium, in earundem ruinam.

Hinc intelliges, quemadmodum mundi totius, atque imprimis Cœlestis machinæ opificium, quatenùs sub universali peripheriâ suâ, et suarum revolutionum catenâ mysticâ, velut in ingenti volumine ænigmatico, historicam et propheticam

humanæ Redemptionis seriem, totumque arcanum sacrum legis Evangelicæ mysterium recondens, ad Illuminationem omnium gentium, videtur esse primum speculum seu primum Exemplar visibile Evangelii æterni, quod cap. 14 Apoc. S. Joannes ait à se

A duobus mensibus pervenit in meas manus Commentarius, seu paraphrasis Evangelica in librum ye Kim, Auctore quodam christiano è provinciâ Nankim (mortuus est a 3 annis) virtutis et eruditionis non vulgaris, qui in librorum sanctæ legis æquè ac in librorum sinensium lectione versatus, et horum præcipuum nempe ye Kim diutiùs meditatus, et meo judicio in multis cœlesti luce specialiter illustratus, proprio marte nec infœlici conatu aggressus est demonstrare, in singulis ejus figuris symbolicis, et singulis textibus ænigmaticis his annexis, quæ mirabiliora occurrunt in personâ sacrâ, in virtutibus, operibus et sanctâ lege messiæ salvatoris nostri.

exposuit omnium nationum et generationum contemplationi omnia arcana legis Evangelicæ, et Redemptionis nostræ mysteria: unum hîc tantùm rogabo, num sit res ex communi omnium opinione certissima, Deum optimum maximum in ista rerum omnium productione, intendisse maximam hominis utilitatem, præsertim animæ, ut pote ad ejus Imaginem et similitudinem factæ; atque adeò Adamum, statim à creatione philosophicæ infusæ luce illustratum, ut censet vulgus Philosophorum, ex contemplatione totius naturæ audivisse vocem omnium Creaturarum divinas conditoris sui dotes et perfectiones prædicantium et unanimiter laudantium, nullâ ex iis à præscriptis ab eo sibi semitis vel uno puncto recedente, ita ut ex singulis addisceret Dei omnipotentis gloriam, et fidelitatem quâ earum exemplo tenebatur constanter ipsi in omnibus obsequendo servire. Quod si certum est, nec potest à quoquam negari, de 1a mundi formatione; quonam cum fundamento potest hoc revocari in dubium, respectivè ad mundum Reformatum? et Dei filium ejus Reformationis Auctorem, qui ad testandum modo longè excellentiori et supernaturali infinitum suum amorem erga genus humanum, coràm suis oculis ob noxam originalem execratione dignum; et propter cæcitatem et perversitatem ex eâ in ejus cor et mentem simul illapsam, longè majori

humanæ Redemptionis Seriem, totumque arcanum sacrum legis Evangelicæ mysterium recondens, ad Illuminationem omnium gentium, videtur esse primum speculum seu primum Exemplar visibile Evangelii æterni, quod cap. 14 Apoc. S. Joannes ait à se visum in manu Angeli volantis per medium Cœli, ut Evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem et tribum et populum et linguam: ita sacrum, mysticum, et ænigmaticum mutationum librum Ye Kim, siquidem est compendiosum sed fidele totius machinæ cælestis Ectypum, sub suis symbolis seu sigillis mysticis pariter complectens sacram mirabilium Redemptionis operum seriem, et mysteriorum Evangelicorum Epitome adequatam; videtur meritò dici posse ——— propheticum et ænigmaticum Evangelium legis naturalis, in eâ scilicet integrâ et primævâ formâ, in quâ suppono hunc primò prodiisse è manibus S. patriarchæ Enochi sui Auctoris, à Sinis Fohi nomine noti.

At nè aliquis eorum, in quorum manus hoc scriptum posset pervenire, arguat tanquam novitatem solâ gentilium et Sinica traditione fundatam, id quod modò protuli, veluti asserendo, nempe mundum Universum esse instar ingentis voluminis, in quo Deus ab initio, tanquam in speculo ænigmatico et prophetico exposuit omnium nationum et generationum contemplationi omnia arcana legis Evangelicæ, et Redemptionis nostræ mysteria: unum hic tantùm rogabo, num sit res ex communi omnium opinione certissima, Deum optimum maximum in ista rerum omnium productione, intendisse — maximam hominis utilitatem, præsertim animæ, utpote ad Ejus Imaginem et similitudinem factæ; atque adeò Adamum, statim à creatione philosophicæ infusæ luce illustratum, ut censet vulgus Philosophorum, ex contemplatione totius naturæ audivisse vocem omnium Creaturarum divinas Conditoris sui dotes et perfectiones prædicantium et unanimiter laudantium, nullâ ex iis à præscriptis ab eo sibi semitis vel uno puncto recedente, ita ut ex singulis addisceret Dei omnipotentis gloriam, et fidelitatem quâ earum exemplo tenebatur constanter ipsi in omnibus obsequendo servire. Quod si certum est, nec potest à quoquam negari, de 1ª mundi formatione; quonam cum fundamento potest hoc revocari in dubium, respectivè ad mundum Reformatum? Et Dei filium Ejus Reformationis Auctorem, qui ad testandum modo longè Excellentiori et supernaturali infinitum suum amorem erga genus humanum, coràm suis oculis ob noxam originalem Execratione dignum; et propter cæcitatem et perversitatem ex eâ in Ejus cor et mentem simul, longè majori illapsam,

egentem subsidio, haud dubié ex arcano Regnãois consilio
—— in hoc novo mundi opificio, et in omnibus mutationibus, quas infinita ejus sapientia ejus amori pariter dictavit, ex novis motuum legibus introducendas; potissimum intendisse, propter universalem hominum cæcitatem et corruptionem, et pro plenâ et perfectâ omnium Instructione; ut in novo hoc et immenso omnnipotentiæ, sapientiæ, et sui infiniti amoris theatro, omnes nationes possent singulis sæculis contemplari vias ineffabiles in mundi Redemptione servatas; et ab omnibus creaturis, etiam minimis doceri eas, quascumque debemus declinare aut sequi, in mediis tenebris et innumeris præsentis vitæ periculis; ut possimus tutò pervenire ad æternæ et perfectæ fælicitatis terminum, quam infinitis suis meritis pro omnibus acquisivit.

Et verò quid aliud nobis Spiritus sanctus passim ubique suggerit in veteri testamento, quod est figura perpetua et prophetica messiæ Redemptoris et omnium mysteriorum Legis Evangelicæ; et consequenter rarò agit de rebus pertinentibus ad primum mundi seu Justitiæ originalis statum, cujus Lex in præsenti naturæ corruptæ statu non sufficit ad salutem.? Et quotiescumque lectio hujus divini textûs erigit Lectoris mentem, ad audiendas Creaturarum Cælestium seu terrestrium voces, Auctoris sui magnalia Enarrantes; et ad considerandas mirabiles ab eo singulis præscriptas vias; quis christianus verè sapiens, non eas agnoscat, pro totidem sapientiæ Evangelicæ magistris, et veluti tutis ducibus in viâ salutis, ab ipso salvatore nostro, in quâcumque mundi ab ipso reformati plagâ, in hunc finem dispersis.? Nonne v.g dum Spiritus deprimit mentem nostram, ad considerandа vilissima terræ Insecta, manifestè id ipsum nos docet.? quid enim aliud significarunt v.g. hæc 30.^{mi} capitis proverbiorum verba quatuor sunt minima terræ, et ipsa sunt sapientiora sapientibus. formicæ populus infirmus, qui præparat in messem cibum &c. Et hæc alia capitis 6.^{ti} ejusdem libri, ubi hominem segnem et socordem in decurrendâ sapientiæ Evangelicæ viâ, quæ sola ducit ad vitam æternam, Jubendo et adhortando ait, vade ad formicam ô piger, considera vias ejus et disce sapientiam &c. E contrà dum ejusdem divini spiritus instinctu sublatis in cælum oculis vir theologus, aut philosophus christianus meditatur primos psalmi

psalmi 18vi versus. cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum Ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum et nox nocti indicat scientiam. non sunt loquelæ — neque sermones quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram Exivit sonus eorum, Et in fines orbis terræ &c. Et hos comparat cum iis, qui sequuntur immediatè, et cum quibus habent essentialem — connexionem. qui fieri potest ut utrosque, imò et psalmum Integrum non intelligat, de gygantea seu heroica Excursione, Redemptionis, Dei patris mandato a suo filio susceptâ ab initio sæculi et in ejus fine completâ, quæ est primum et capitale omnium operum divinæ sapientiæ et omnipotentiæ; et illud in quo Deus ponit gloriæ suæ coronidem; atque adeò est verum objectum laudum et Elogiorum, quibus cæli et omnes creaturæ prædicant et annuntiant de die in diem ac de generatione in generationem, arduam illam et ineffabilem viam, quam divinus ille gygas pro Redemptione et salute nostrâ decurrendam suscepit; et innumeras semitas sapientiæ — undequaque genus humanum ad eam tutò deducentes, quas semitas mystica Kabala libri yekim, quoad hoc sicuti quoad cætera, simillima sacræ et primævæ Kabalæ hebræorum, contrahit pariter ad numerum triginta duarum, uti posteà patebit in diversis præsentis scripti locis.

Cùm ergo ex iis et innumeris aliis similibus divini textûs locis, sicut ex traditione sinensi videatur certum, — Deum optimum maximum, pro plenâ et universali gentium et generationum omnium Institutione, et faciliori singulorum hominum reformatione, omnia mirabilia Redemptionis opera, et omnes sapientiæ semitas, quibus voluit corda et mentes omnium allicere, ad sui cognitionem et amorem, veluti mysticis ac symbolicis typis impressisse, in diversis omnium naturis, et propriis singularum semitis; verum hinc novam lucem accipit id quod jam dictum est anteà, nempe cælum et omnia quæ toto ambitu suo complectitur, esse Exemplar Evangelii æterni, à S. Joanne visi in manu Angeli volantis per medium cæli, ut Evangelizaret sedentibus super terram. quod cùm contineat innumeros et immensos labores a Redemptore pro nostrâ salute susceptos, et cætera mirabilia Ejus opera, omnes legis Evangelicæ Excellentias, diversas que sine numero sapientiæ semitas ad eum conducentes; pro sui Explicatione, non requirebat librum — minoris voluminis, quàm totam cælorum peripheriam. Unde non mirum, quod idem S. Joannes cui soli è quatuor Evangelistis datum est videre immensam

deinde idem systema ænigmaticè expositum et penicillo
delineatum reliquerit posteritati, tanquam speculum
propheticum, in quo viri veræ sapientiæ amatores divino
lumine adjuti, possent omnia ad salutem necessaria, hoc
est omnia dogmata legis Evangelicæ et ineffabilia divini
Legislatoris virtutum omnium exempla contemplari.

Verùm, quia res historica sine re geographicâ ob mutuam
et indissolubilem utriusque connexionem, non potest procede-
re cum conveniente claritate, præmonendum 8.º eundem
sapientiæ hieroglyphicæ Autorem, ex eadem cœli et Astrorum
dispositione, eodemque divino instinctu prævidentem terræ
et omnis carnis repletæ iniquitate, universalem corruptionem,
ac totalem Regni Dei in terrâ destructionem; eodem tempore,
pro hujus ænigmaticâ repræsentatione, condidisse suum
geographicum systema totius orbis terrestris, propter gnalem
malitiæ eluvionem submersi diluvii aquis, et mutati in vastam
solitudinem, non nisi tumentibus maris fluctibus, prærup-
tis montibus, aut asperis rupibus constantem; ubi non nisi
spinæ, tribuli, urticæ aliæque ejusmodi noxiæ herbæ germina-
rent; nec alii Incolæ errarent, quàm pilosi, lamiæ, dæmones,
harpyæ, dracones, serpentes, ericii, corvi, ibides, struthiones
&c: in eâ circiter formâ, quam cujuscumque oculi possunt
etiamnum observare, in ipsis figuris antiquissimi cujusdam
monumenti dicti Xanhai Kim (mare et montes) quæ est des-
criptio terrestris orbis aquis diluvii deformati non tam physica, quàm
symbolica aut ænigmatica ipsius Regni dei în terrâ planè
subversi, per effusam anteâ in omne genus humanum consum-
matæ gygantum malitiæ ~~et~~ eluvionem, in traditione sinen-
si vivis coloribus depictæ, nempe in historiâ immanis novem
fratrum Kieuli tyrannidis, de quâ paulò fusius in priori
parte hujus speciminis; cujus diræ eluviei vera et prima
origo fuit perversa ferocitas draconis seu antiqui serpentis,
qui in terram projectus cum innumerâ rebellium Angelorum
multitudine instar pluviæ stellarum simul desuper corruen-
tium, malitiæ suæ tabo totum genus humanum infecerunt.
Cujus funestissimi toti generi humano et orbi terrestri eventûs
Ideam, Autor prædictæ descriptionis geographicæ et symbolicæ,
habens in mente distinctè impressam, tunc in cœli expanso
in incondito stellarum ordine situ et numero, per pluviam stella-
rum supradictam, tertiâ parte (ut docet nos liber Apocalypsis)
larum numero imminuto, contemplatus ingentia spatia
vacua et deserta; et in his fœdis hiatibus veras cœli ruinas
ænigmaticè reconditas, et olim implendas per eundem Justo-
rum

Evangelii æterni profunditatem, Scriptum à se Evangelium concluserit his verbis: Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.

Jam verò revocato sermone ad symbolicam Sinarum historiam, et seriem Regum veteris chronici, quod jam anteà insinuavimus esse merè Astronomicum et cœlo Astrorùmque revolutionibus annexum; licet ex dictis tota ratio symbolica hujus chronici seu historici systematis, pertineat ad Regnum Dei in terrâ à Satana usurpatum denuò recuperandum, et ejus usurpatorem è mundo ejiciendum: nunc ut paulò clariùs exponamus, cur cùm Regnum, de cujus recuperatione et restauratione agitur, spectet omnes gentes in terrâ habitantes, rationes symbolicæ prædicti chronici seu historiæ, non sint annexæ terræ, aut universali orbis terrestris Regno, sed cœlo et Astrorum revolutionibus: nunc præmonendum 1mo Deum Redemptorem nostrum, verum et unicum scientiarum dominum, pro pleniore traditione novæ suæ legis in profundissimâ Evangelii æterni abysso reconditæ: juxta mirabile infinitæ suæ sapientiæ consilium, hoc ab origine mundi per organa omnium creaturarum visibilium, et ministerium Angelorum, in omnes generationes Evangelizandi sedentibus super terram, et super omnem gentem et tribum et linguam et populum. Sicuti vidit S. Joannes, idem Evangelizandum in fine sæculi, per Angelum volantem in medio cœli: Deum, inquam, mundi Reformatorem, cùm novum Astris ordinem et motum imperaret, ita disposuisse diversas eorum configurationes, in serie revolutionum cœlestium; ut Auctor sapientiæ Jeroglyphicæ librû Mutationum yekim, ab ipso immediatè, aut per Angelos cœlitùs illustratus; et prophetarum more prænoscens, seriem historicam mirabilium operum Redemptoris, et diversitatem ejus virtutum, juxta generationum diversitatem specialiter relucentium sive in Sathanæ tyrannidis destructione, sive in inconcussâ Patris sui Regni restauratione; novam cœli et Astrorum dispositionem contemplando, ex infusâ tunc sibi Ideâ totius catenæ mysticæ dynastiarum et Regum seu principum bonorum malorùmve veteris chronici, symbolicè et adæquatè respondentis, seriei historicæ et propheticæ gestorum mirabilium Domini virtutum et Dei exercituum toto tempore suæ heroicæ excursionis, à summo cœlo usque ad summum ejus revolutæ; et præconceperit totum historiæ mysticæ et symbolicæ systema in cœli expanso et in capitalibus Astrorum revolutionibus, harum specialiter characteristicis configurationibus signatis.

numerum, è Dei Regno in terrâ restituto, in cœlum assumendorum à Mundi Reparatore, cujus divinâ virtute spuriæ illæ Stellarum — seu Angelorum fæces in terram ejectæ sunt; — Insuper in ipsis Asterismorum figuris observavit diversas ferarum Insectorum, et aliarum rerum formas, non minùs noxias et terrificas iis, quas exhibiti Xanhai Kim geographicâ descriptione modò diximus, replere orbis terraquei post diluvium, rupes et montes — ex aquis emergentes, nempe dracones, serpentes, leones, tygrides, lupos, hircos, vultures, corvos, pisces voraces, scorpiones, & fluvios veluti ex urnâ inversâ aquas deorsum evomentes &c; permixtas tamen pluribus aliis optimi ominis formis, qualia sunt signa virginis, Arietis, constellationes herculis, persei &c. quales requirit descriptio geographica et prophetica Restaurationis perfectæ Regni supremi Regis cœli et terræ, in totâ heroicâ et gyganteâ Divini Liberatoris nostri excursione; cujus initium habet signum sui verè characteristicum in septemtrionibus seu Regio curru davidis, hoc est messiæ filii david, in traditione sinensi, figurati per supremum cœli et terræ monarcham Hoamti, Regiam suam sedem habentem in illis septem stellis, poli Ecliptici, et Regium suum currum inde egredientem: Ejusdem enim verò excursionis finis non minùs proprio et lucido charactere signatus est in canopo stellâ primæ magnitudinis Australi, fixâ in gubernaculo mysticæ navis, ultimum prædictæ excursionis terminum et ultimam sæculi Epocham attingentis, quando scilicet Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte pharan, nempe ad judicandos et — vivos et mortuos.

His omnibus profundâ contemplatione observatis, primus sapientiæ hieroglyphicæ magister, miratusque tantam terræ cum cœlo analogiam; ut per rationes symbolicas descriptionis geographicæ, ad omnes omnium generationum populos posset tutò transmitti cognitio Regni dei in terrâ priùs subversi, per noxæ originalis corruptionem, instar diluvii universalis super omnem carnem effusi; deinde ejusdem in integrum restituti, per seriem operum mirabilium et infinitorum meritorum messiæ Reparatoris in longâ et heroicâ suâ excursione: cùm cœlum et Astra propter diversas et continuas suas revolutiones et configurationes, ab earum Auctore et supremo moderatore attemperatas, ad designanda et prænuntianda de die in diem, et de generatione in generationem, seriem geographicam et historicam Dei Regni in terrâ primò destructi, posteà reparati: cùm, inquam, cœlum et Astra, sint omnium Instrumentorum ad hunc

finem aptissimum, eâ de causâ Auctor sapientiæ hieroglyphicæ videtur ex speciali Dei Instinctu, utrumque suum geometricum et historicum systema symbolicum et propheticum Cælo et Astris veluti communi nexu illigasse.

Sed quia hæc duo, sicuti cætera aliarum scientiarum systemata, pariter inserviunt unico ordinis supernaturalis — nempe sacro Religionis systemati; solâ vi rationum symbolicarum, petitâ à numeris, quibus omnes pariter innixæ videntur habere aliquam rationem similitudinis, cum scientiâ Religionis, quæ est purè divina; et ideò cum eâ constituunt sy— symbolicum sapientiæ hieroglyphicæ priscorum Patriarcharum systema, omni ex parte fundatum in rationibus — numerorum parium vel imparium, linearium vel figuratorum, circularium seu cælestium, et quadratorum seu terrestrium, uti dicetur suo loco: hic obiter notandum, rationes numericas, quibus fundatur utrumque systema symbolicum sivè historicè sive geographicè pertinens ad Regnum Dei in terrâ subversum, propter vias carnales, terrestres, et à spiritu, qui Deus est, prorsus alienas, plerumque vestitas esse figuris quadratis et geometricis sive solidis sive planis: è contra eas quæ respiciunt Regnū Dei inter homines restauratum, latere sub figuris circularibus seu trigonis Arithmeticis et cælestibus: verè symbolicis viarum cælestium et purè spiritualium, planèque terræ et carni oppositarum, quibus mundi Reparator ab initio per Angelos et prophetas, in medio temporum divinis suis exemplis et documentis, deinde usque ad consummationem sæculi per Apostolos et eorum successores, continuò evangelizando, omnes cæli ruinas implevit, et Regnum sui Patris in integrum restituit.

Etiam: Idea utriusque hujus tum historici tum geographici systematis sinarum, hic à me non nisi generatim propositæ tanquam genuina et legitima, juxta hieroglyphicum et intimum sensum librorum canonicorum; sit purè symbolica, et omnes utriusque descriptiones seu geographicæ seu historicæ, unicè referendæ sint ad — divinam legem et mirabilia opera Reparatoris mundi, nec non ad universas orbis terrestris plagas, et sæculi generationes, quibus evangelizando restitutum est, et — in æternum stabilitum suum et sui Patris Regnum, sicuti ipsa librorum canonicorum doctrina tota nullum aliud habet objectum: nihilominus præmonendum est 9° sapientiæ hieroglyphicæ Auctorem tradendo posteris utrumque hoc symbolicum systema historicum et

geographicum, voluisse praeterea ex speciali divini spiritus directione, ut singulis nationibus et generationibus esset exemplar et regula etiam pro usu politico et civili servanda, in delineationibus geographicis, v.g. pro distribuendo universo terrarum orbe in suas partes seu plagas cardinales; quâlibet plagâ in diversa Regna seu ditiones; quâlibet ditione seu Regno in suas provincias: aequè ac in conscribendis commentariis historicis, sive ad universum orbem, sive ad singulas nationes et earum Regna pertinentibus. Ita ut Inferior hic mundus, qui juxtà vetus et generâle sinarum axioma, caelestia imitando, debet in omnibus caelo se conformare; omnes terrae dynastias, et cujuslibet Dynastiae singula Regna iisdem omnibus augustis et sacris nominibus signaret, quibus in caelesti et symbolico chronico insignitae occurrunt, omnes mysticae illae dynastiae, et illi Ideales Heroës, quibus aenigmaticè et pro serie temporum propheticorum, specialiter praesignantur persona sacra, Divinae virtutes, et merita infinita Regis Regum Redemptoris nostri, veluti totidem diversis Astrorum revolutionibus et dominiis et configurationibus characteristicè distincta. quod quidem videtur à SS Patriarchis observatum antè diluvium, ut dicetur inferiùs.

Sed quia aliquot saeculis hanc universalem cladem praecedentibus, totum hoc sacrae et mysticae Astrologiae systema omnino corruptum est in scholâ satanae, unde tunc prodierunt, potentes illi à saeculo, et omnis abominationis genere famosi gygantes in chronico sinensi descripti sub nomine Kieuli, cum suo capite Rege et magistro satanâ sub nomine chiyeu, tanquam insignes professores Idololatriae, magiae, Astrologiae divinatoriae et caeterarum hujusmodi pessimarum artium, quibus corrupto universo genere humano super terram, justa dei ira provocata est ad eos omnes cum reliquâ carne similiter corruptos, simul sepeliendos sub aquis diluvii universalis; et ejusdem misericordia infinita pariter inducta est, ad contrahendam intra terminos multò breviores, longiorem tot saeculorum vitam, quâ tunc nefandè et certatim abutebantur in studio et exercitio omnium illarum diabolicarum Artium: eâ de causâ usus proprius et distincta notitia gemini illius mystici systematis, vix aliquot saeculis perseveraverunt post diluvium apud gentem sinorum, quae uti portio magis selecta posteritatis Noë, veluti jure haereditario ab eo sive immediatè, sive mediatè accepit pretiosum monumentorum Jeroglyphicorum thesaurum; et horum subsidio ejus monarchiae fundatores, ad servandam in novo hoc et proprio suo solo, quantum patiebantur loci limites et dispositio, aliquam

Speciem seu Ideam totius systematis geographici sive ci-
vealis, sive sacri et symbolici, à Trismegisto prædi- luvilis et
luviano profecti: videntur solo suo sinensi, modo, qui iis
occurrit, convenientissimo aptasse divisiones genera-
les magisque memorabiles delineationis geographi-
cæ dicti systematis universalis, etiam servatis iisdem
mysticis nominibus, in innumeris et notabilioribus
locis, quales sunt diversi maris tractus, flumina
lacus, urbes, provinciæ et ditiones olim in mappâ
universali celebriores. Eorundem monumentorum subsi-
dio, iidem Monarchiæ sinensis fundatores, ad perpetuandam
mystici et universalis Chronici cœlestis memoriam, et ingen-
tem sacræ sapientiæ in totâ serie illius historiæ symbolicæ
latentem utilitatem; novæ suæ habitationis, id est Regni
sinensis historiæ principium, cum sacrorum prædilu-
vianorum chronico connectentes, juxta piissimum sacri illius —
systematis intentum; cœperunt primos suos Reges, seu
potius horum principatus designare et appellare, ipsis-
simis sacris et augustis nominibus Regum seu heroum
cœlestium mysticæ illius historiæ, juxta temporum —
propheticorum seriem respondentium primis sæculis
post diluvianis, ex pristino et antiquo more volentes —
singulas monarchiæ generationes, seu Regum suorum
principatus seorsim et simul pariter subjacere fælicibus
auspiciis et Dominio Messiæ Domini dominantium et
Regis Regum, singulis hisce augustis veréque divinis —
nominibus, juxta mirabilium ejus virtutum et operum
diversitatem, et diversorum temporum seriem diversimodè
designatum. Hinc v.g. omnes sinensium Annalium Scrip- tores
duos primos post diluvium Reges suos appellant no-
minibus yao et Xun, qui in serie historicâ et symbolicâ
heroum cœlestium sunt duo ē præcipuis Messiæ Salvatoris
typis, uti mihi videor in scriptis antecedentibus jam satis
demonstrasse, saltem de primo yao (qui certè undequaque
spectetur nunquam fuit alius, quàm omnipotens et —
ineffabilis Jehovah hebræorum ab iis pariter iao; seu
iaω appellatus, et simili charactere hieroglyphico desig-
natus; et consequenter haberi non potest pro vero et primo
Rege Sinarum, licet hoc videatur certum omnibus
Sinis, et ferè omnibus Miss.riis ex omnibus eorum chronicis
et annalibus à bis mille annis conscriptis, ex inveterato
et communi errore. Cujus erroris vera et certissima causa
fuit interitus universalis sapientiæ hieroglyphicæ, seu

Sensus intimi et ænigmatici suorum librorum canonicorum tunc temporis per Impium Imperatorem Cin xe hoam sub incendii ferè universalis illorum librorum cineribus planè sepulti, uti — Ex eo celeberrimi cujusque ætatis Scriptores ad præsentem ætatem communi gemitu confitentur. Si quidem totâ hujus sacræ doctrinæ notitiâ pereunte, necesse fuit, ut cum ipsâ simul interiret notitia totius veteris- ac mystici systematis, tum historicæ tum geographiæ symbolicæ, quæ fuit pars non intima systematis sapientiæ hieroglyphicæ. At non obstante tam universali et inveterato errore, ut possint omnes Sinæ et Europæi cum illis cum pari facilitate et evidentiâ convinci, non solum suum illum Regem heroüm yao, sed etiam ejus successorem Xun, quorum est mentio in libris canonicis yĕ Kim, Xu Kim et li Ki, non fuisse principes reales, nec veros Regni Sinensis Reges, nisi eo sensu, quo dictum est suprà, nempe primos ejus fundatores, ex pio et pristino more prædiluviano, subjecisse primos Sinensis chronici postdiluviani terrestres principatus dominio Primorum Regum cælestium iisdem temporibus respondentes; et ideo ipsos et dictorum principatuum Reges iisdem sacris nominibus appellasse, quibus Ideales et mystici Reges Universalis et cælestis sensus symbolici chronici, singuli in hoc chronico inter se distinguuntur: Sciendum est Ambos prædictos Reges yao et Xun, juxta omnium Annalistarum Sinensium consensum, esse ex numero quinque mysticorum Imperatorum tam celebrium sub communi titulo* ou ti, qui juxta Iudicium criticum scriptorum præcipuorum communiter receptum nunquam extiterunt, et quorum singulorum ~~et~~ nomina non sunt in usu in veteri chronico, nisi veluti totidem sacræ et diversæ veri Dei Xam ti appellationes diversas, ~~et~~ divinas ejus dotes ac virtutes specialiter designantes. Quae demonstratio, ex ipsis celebriorum Sinensium doctorum tam turpiter sibi contradicentium adjectis suæ testimoniis, de duobus primis Regibus postdiluvianis yao et Xun, cum sufficienter pateat, quoad præsens intentum, differimus in alium locum

* ou ti quinque supremi Imperatores diverso (5. planetarum dominio respondentis)

性理會通進書表 自王道既衰異說蠭起燔烈秦火之餘穿鑿漢儒之弊其聞存者不絕如綫

諸綱鑑解 少昊顓頊帝嚳堯舜為五帝

十三經書疏 本自無三皇何云三皇豈可三皇數人五帝數座二文舛互自相乖阻也

劉恕 曰秦漢學者競稱三皇五帝而不知古無其人仲尼未嘗道也

家語 天有五行水火金木土分時化育以成萬物其神謂之五帝

通鑑綱目 晉群臣奏五帝即天帝也王氣時異故名號有五

Ejusdem tam universalis et inveterati Erroris circa totam veterem Sinarum historiam prædiluvianam æquè ac postdiluvianam, demonstrationem magis fusam et claram in speciali dissertatione; ubi neque deo dante Eadem operâ patebit non minùs clarè, alter huic valde affinis, non minùs inveteratus et universalis Error, circa descriptionem geographicam totius soli Monarchiæ Sinensis; quæ, ut suprà advertimus, videtur versùs ejus initium delineata, sub plerisque mysticis nominibus, propriis geographicæ symbolicæ et universalis prædiluvianæ

Interim, ne fortè qui existimant, nullum apud omnes alias nationes superesse vestigium ejusmodi mystici systematis sive historici sive geographici, habeant pro suspectâ utriusque Ideam suprà propositam advertendum est ægyptios (apud quos prodierunt post diluvium tam multa monumenta sapientiæ hieroglyphicæ, sed commixta et planè corrupta omnibus Idololatriæ, magiæ, et Astrologiæ genethl. mysteriis, sub innumeris diabolicis figuris, et spuriis characteribus Jeroglyphicis, antiqui serpentis, in iis omnibus diversimodè adumbrati, calliditate occultis) servasse non pauca nec obscura utriusque illius systematis vestigia, in toto suo spurio et abominando systemate hieroglyphico; ad eos per s.ti Patriarchæ Noe impiissimū filium cham, e perditis gygantum adytis traducto; et ab eodem ibi vel ejus filio, paulò post diluvium, instar armamentarii generalis erecto, veluti in arce impietatis aggeribus undique vallatâ, ad impediendam in novo mundo propagationem divinæ legis, veri cultûs, et sacræ totius sapientiæ hieroglyphicæ primorum Patriarcharum. Atque id patet ex Platone, qui, ut omittam alios ejusmodi antiquitatum scriptores, ait in Critiâ. Dii quondam universæ terræ orbem singulatim sortiti sunt, in regiones singulas distributum. Superquo Platonis loco Kircherus, qui in suo ædypo hunc citat, conformiter Ideæ à nobis superiùs propositæ sic concludit credebant igitur ægytii, deos quondam ad conservationem humani generis, universum orbem terræ singulatim distribuisse sortitione; ad cujus sortitionis rationem veteres sacerdotes ægypti Regis sesostris seu sesosiridis auctoritate confisi, universam ægyptum eâ ratione distribuerunt, ut quod à veteribus, hoc est ante diluvium factum fuerat in Universo; in ægypto veluti mystico totius mundi Pantheo, totius theogoniæ mysteria et cultum complectente, repræsentaretur

Ex omnibus huc usque nondùm nisi generatim prolatis,
etsi lector intelligat me, pro inveniendo aditu ad intelligentiam
arcani et Sacri mysterii Sapientiæ hieroglyphicæ reconditæ in
canonicis Sinarum monumentis, vel ab ipsius Confucii morte inter
eos planè extinctam, ut ipsimet à 20. et ultrà Sæculis unanimi-
ter et gemebundi confitentur; iniisse consilium Suscitandi vete-
ris Sui chronici Sensum mythicum Seu allegoricum, cum reconditis libro-
rum canonicorum mysteriis artissimè connexum: nè quis
continuò ex eo existimet, me hoc consilio velle et aggredi Sub-
versionem totius corporis historici Seu Annalium Sinensium,
cui tanta et universalis fides non à Sinis tantùm, Sed ab ipsis-
met miss.rüs Europæis, huc usque habita est, Saltem ab Epochâ
diluvii ad Regis yao tempus relatâ; Sicuti ab aliquot annis
Solemniter accusatus Sum à novem Sociorum turbâ, visitatore ipso
in capite, cum pari temeritate at injustitiâ apud ipsum Impera-
torem, communi libello propriâ manu ipsi oblato, et Sanè tot
ministris Evangelicis parùm digno, veluti uno ore in eo impro-
bantibus et damnantibus, aliud cum illo conjunctum nec minùs Sanctum
consilium Susceptum a me pariter à multis annis, Eruendi ex
iisdem hieroglyphicis Sinarum monumentis, Sacrum legis natu-
ralis Systema, innumeris traditionibus ad messiam Salvato-
rem et Legem Evangelicam unicè pertinentibus, cum lege chris-
tianâ manifestè connexum; Simulque Suppliciter petentibus,
Sed frustrà, ut tantus princeps (qui licet gentilis, in hoc labore
Sub Suis ipsius oculis pluribus annis me occupatum detinuit, cum
continuâ laude et approbatione à me non expectatâ) ut Regiâ
auctoritate prohiberet nè ulteriùs in Ejusmodi labore insuda-
rem. Hic prætermittere non debeo, me non Solùm coràm Impe-
ratore, neque coràm ullo Aulico Seu Externo e Subditis Suæ
majestatis, voce aut Scripto quicquam protulisse, quo videri
possem in dubium revocare historiam Sinensem à diluvio
deductam, quam plerique Seu omnes videntur habere pro
certâ; Sed è contrà Semper existimasse, non convenire, ut qui
mecum de veteri Sinarum chronico ferè idem Sentiunt, dictam
chronici partem impugnarent, et hoc unum Summopere optando,
ut unanimiter Studium commune converteremus ad Susci-
tandum Sensum allegoricum et mythicum dogmatum et
gestorum in libris canonicis et Similibus traditionibus tri-
bui Solitis heroibus, Regibus et principibus prædiluvianis
Seu postdiluvianis veteris chronici. quem intimum Sensum
ritè, ut facilè fieri potest, expositum, vix reperies deo dante
inter doctos Sinas Superioris ordinis, qui audeat hunc confutare
aut palàm improbare. Et cujus Soliditate paulatim à plærisque

agnitâ et admissâ, uti non sine fundamento speramus, debemus iis relinquere curam statuendi et decernendi inter se de veritate sensûs historici præsertim partis posterioris seu postdiluvianæ veteris sui chronici, id est de iis, quæ ibi tribuuntur Regibus Yao, Xun et cæteris trium dynastiarum hia, xam, et cheu, quorum appellationes, seu nomina sine multo labore poterunt nobiscum agnoscere, juxta morem antiquum monarchiæ fundatorem, de quo suprà dictum est, desumpta fuisse ex mysticis nominibus heroum seu sanctorum Regum chronici primævi Astronomici et prophetici, quæ ibi diximus esse apud priscos sapientes sinos, sicut olim in primævâ Hebræorum Kabalâ, totidem diversa messiæ Redemptoris augusta nomina, diversas ejus + divinas — virtutes et merita seorsim designantia, sub quorum auspiciis, pro temporum et generationem diversitate, constitui solebant singuli cujusque dynastiæ Reges, seipsos et sua regna tam augustis appelationibus in pandectis publicis commemorari gloriantes.

Super quo ex intimâ notitiâ, quam mihi videor habere rei præsentis, addere non dubitabo viros verè doctos inter sinas hunc mysticum et allegoricum sensum, uti veteris sui chronici proprium tantò faciliùs et libentiùs admissuros, quod in eo simul reperturi sint clavim præcipuam intimi et ænigmatici sensûs suorum librorum canonicorum à bis mille annis à tam multis doctoribus frustrà alibi quæsitam; cum viâ planâ et facili ad solvendas innumeras contradictiones ubique in posteriori dicti chronici parte occurrentes; quarum difficultate deterriti, ut videtur, recentiores et celebriores Annalium scriptores, Annalium suorum initium non ultrà 5.tum ante christi adventum sæculum protraxerunt.; Et insuper, quod in eodem hoc sensu mystico, per se pateat ratio certa et clara recuperandi sublimem et verè sacrum sensum totius chronici prædiluviani. In quo cum omnia scripta sint stylo planè mystico et allegorica, sed accepta ab omnibus in sensu obvio et merè historico, ab iis habita sunt pro meris figmentis et fabulis omni fide indignis; unde adducti sunt ad expungendum è corpore suorum annalium omnia secula temporis prædiluviani. Et demum quia ejusdem facis lumine illustrati cum eodem facilitate poterunt advertere fundamentum contradictionum et difficultatum occurrentium in serie historicâ trium dynastiarum Chronici sui —

postdiluviani, tandem ultrò devenient, confido, ad faciendum nobiscum idem omnino de toto suo veteri chronico judicium, et de mysticâ relatione ejus seu Regum seu dynastiarum, ad iis correspondentem in cœlo juxta temporum seriem, totidem Regum seu Regnorum chronici primævi ac cœlestis: agnoscendo præcipuum totius veteris chronici difficultatis nodum consistere in hâc antiquâ chronici historici seu politici, ad mythicum et myst[illegible]

* cùm demonstrarem identitatem [illegible]
in libro canonico Xu Kim descri[illegible]
in ipso textu genesis et nostro ch[illegible]
generationes à mundi Creation[illegible]
Patriarchæ usque ad Noë cum [illegible]
vetusto Sinarum chronico, à m[illegible]
vium ibi descriptum, decem pa[illegible]
seu dynastas universales parit[illegible] r recenseri, atque ulterius
procedendo Ibidem observavi, veteris chronici Regem yao, sub quo traditur diluvium contigisse, esse decimum à primo homine sub nomine Pancou Sinis noto, quemadmodum S. Patriarcha Noe a nobis numeratur decimus ab Adamo; et ipsummet primum parentem totius Litteraturæ et Sapientiæ hieroglyphicæ priscorum Sinarum Fohi, quoad hoc sicut quoad cætera nullâ re diversum à S. Patriarchâ Enocho, in eorum chronico tenere septimum Locum à primo homine Pancou, sicuti in genesi Enochus occupat septimum locum ab Adamo. Unde, siquidem pateti, adeò celebres in veteri chronico Sinensi Reges pancou, Fohi et yao, atque adeò decem primos dynastas, ibi ab ipso mundi initio recensitos; eosdem esse ac Adamum, Enochum, Noe, et omnes decem nostros primos Patriarchas, necesse est ut agnoverim, et etiamnùm agnoscam sensum verè historicum in veteri chronico Sinensi, quicquid falsi et calumniosi quidam rumores de me contrà sparserint hic et usque in Europam à multis annis, et recentiùs coràm ipso Imperatore, apud quem tam seriò accusatus sum tanquam gravis piaculi. Sed quia hujus accusationis et rumorum Auctores præcipui, quos (etsi jure suspectos) libenter volueram esse Judices, pluries verbo et scripto a me rogati, nunquam voluerunt quicquam aperire de iis, quæ ipsis occurrissent in meis scriptis digna reprehensione, nec dare locum, ut super historiâ Sinensi, quæ fuit præcipuum caput suæ accusationis clariùs et magis distinctè super hoc mentem meam exponerem: Nunc cùm res agatur coràm longè æquiori et superioris sphæræ eruditionis tribunali, eaque videatur gravissimi momenti pro hâc missione; quinque aut sex paginis jam super hoc prolatis, videntur aliquot superaddendæ, quò penitius percipi possit

* ratio

post diluviani, tandem ultrò devenient, confido, ad faciendum nobiscum idem omnino de toto suo veteri chronico judicium, et de mysticâ relatione ejus seu Regum seu dynastiarum, ad iis correspondentem in cælo juxta temporum seriem, totidem Regum seu Regnorum chronici primævi ac cælestis: agnoscendo præcipuum totius veteris chronici difficultatis nodum consistere in hâc antiquâ chronici historici seu politici, ad mythicum et mysticum chronicum relatione; . . . . . hujus ope deo dante fæliciter experteri in totâ aut majori parte veteris sui chronici serie id ipsum, quod ego ejus ope jam expertus sum, quoad antiquiorem et difficiliorem, nempe prædiluvianam partem, uti breviter et generatim cœpi ostendere in scriptis hinc anteà isthuc transmissis ubi scilicet demonstravi *

* cùm demonstrarem identitatem diluvii noëtici cum diluvio in libro canonico Xu Kim descripto, eadem operâ ostendi, sicuti in ipso textu genesis et nostro chronico sacro, numerantur decem generationes à mundi creatione, usque ad diluvium; et decem Patriarchæ usque ad Noë cum Adamo omnium primo; ita in vetusto Sinarum chronico, à mundi primordio usque ad diluvium ibi descriptum, decem pariter generationes et Patriarchas, seu dynastas universales ~~pariter~~ recenseri; atque ulterius procedendo ibidem observavi, veteris chronici Regem yao, sub quo traditur diluvium contigisse, esse decimum à primo homine sub nomine Pancou Sinis noto, quemadmodum S. Patriarcha Noe a nobis numeratur decimus ab Adamo; et ipsummet primum parentem totius litteraturæ et sapientiæ hieroglyphicæ priscorum Sinarum fohi, quoad hoc sicut quoad cætera nullâ re diversum à S. Patriarchâ Enocho, in eorum chronico tenere septimum locum à primo homine Pancou, sicuti in genesi Enochus occupat septimum locum ab Adamo. Unde, siquidem pateti; adeò celebres in veteri chronico sinensi Reges pancou, fohi et yao, atque adeò decem primos dynastas, ibi ab ipso mundi initio recensitos; eosdem esse ac Adamum, Enochum, Noe, et omnes decem nostros primos Patriarchas, necesse est ut agnoverim, et etiamnùm agnoscam sensum verè historicum in veteri chronico sinensi, quicquid falsi et calumniosi quidam rumores de me contrà sparserint hic et usque in Europam à multis annis, et recentiùs coràm ipso Imperatore, apud quem tam seriò accusatus sum tanquam gravis piaculi. Sed quia hujus accusationis et rumorum auctores præcipui, quos (etsi jure suspectos) libenter volueram esse judices, pluries verbo et scripto a me rogati, nunquam voluerunt quicquam aperire de iis, quæ ipsis occurrissent in meis scriptis digna reprehensione, nec dare locum, ut super historiâ sinensi, quæ fuit præcipuum caput suæ accusationis clariùs et magis distinctè super hoc mentem meam exponerem: Nunc cùm res agatur coràm longè æquiori et superioris sphæræ aceruditionis tribunali, eaque videatur gravissimi momenti pro hâc missione; quinque aut sex paginis jam super hoc prolatis, videntur aliquot superaddendæ, quò penitiùs percipi possit

* ratio.

* ratio mystica et sacra, totáque arcana œconomia veteris sinarum chronici. Ea igitur de causâ

Præmonendum est quando totius naturæ Auctor condidit Universum, et absoluto utroque megacosmi & microcosmi suo divino opificio, hominem ab Eo in medio omnium creaturarum in Ejus usum conditarum constitutum esse, ut sive quandiu perseveravit in Statu Innocentiæ, sive postquàm amissâ Justitiâ originali, cœlitus illustratus cœpit sentire necessitatem Reparatoris, è centro Theatri naturæ universalis, omnia mirabilia dei opera contemplaretur; Et ex attentâ inspectione (ut ait expressis verbis liber ye kin) naturæ, formæ, et Virtutis singularum, in iisdem observando totidem lucidissima vestigia omnipotentiæ, sapientiæ, amoris, et Infinitarum aliarum Dei ut Creatoris et Redemptoris virtutum passim ubique impressa; Et in Earum productione æternas omnium scientiarum leges, à Divino Opifice Unico et vero omnium scientiarum magistro ac Domino exhaustas, hominum sapientissimi quiqi + huic

...tur, sapientiores optimi gubernii leges,

in hoc immenso Encyclopædiæ volumine, omnium populorum per omnes generationes continuæ contemplationi exposito, lucidioribus characteribus descripsisse, sub longa serie sanctorum Regum merè symbolicorum, in plures dynastias distributâ, et variorum pessimorum principum tyrannide interruptâ, qualis est scilicet ea, quæ constituit totum mysticum systema veteris chronici sinensis; et quæ ex traditione sinensi videtur cœlo et Astris ac diversis eorum revolutionibus, seu periodis temporum, juxta rationes chronologicas sic illigata, ut olim illius heroes, seu sancti Reges in cœlo spectati haberentur à sapientibus, pro totidem typis sacris et symbolicis messiæ salvatoris; simulque in terrâ suis propriis nominibus designarent sanctos Patriarchas seu Reges, iisdem Astrorum revolutionibus seu temporum periodis respondentes.

Hinc etsi, juxta exposita paulò superiùs, Adamus, Enochus, Noe et cæteri Patriarchæ prædiluviani chronici sacri, videantur tam clarè designati secundùm seriem historicam, sub nominibus Pancoa, Soui, yao et aliorum dynastarum prædiluvianorum; hoc non obstat, quin juxta primævam et genuinam traditionem, librorum canonicorum propriam, singula hæc nomina sicuti cætera catenæ illius mysticæ chronici sinensis, sint ex primâ Institutione omnia symbolica, uti jam de pluribus ostendimus cum sufficienti claritate; et de reliquis fusiùs et clariùs posteà ostendetur in speciali tractatu.

Interim, ut Lector possit sibi fingere aliquam speciem

+ huic sublimi et sanctæ contemplationi maximè intenti agnoscerent, arcanum infinitæ Dei sapientiæ consilium in tam perfectâ rerum omnium productione, fuisse, ut æternæ scientiarum omnium rationes et notiones, ubicumque in totâ universi machinâ sensibiliter et naturaliter relucentes, debilem hominis intelligentiam divino lumine corroboratam, viâ et methodo rationum symbolicarum — facilius deducerent ad notitiam invisibilium et etiam supernaturalium mysteriorum sanctæ legis Dei creatoris et Redemptoris nostri; et ita omnes Religioni, quæ est scientia scientiarum facem famularum instar præferrent.

Cum verò inter scientias et naturales, et humanas, nulla videatur præstantior et majoris momenti, eâ quæ spectat optimum Regnorum et populorum regimen; ac proinde verisimile non sit Divinum opificem formando — universum juxta æternas omnium scientiarum leges, cum vellet harum subsidio adducere homines ad sui et suæ sanctæ legis cognitionem, noluisse scientiam — huic sancto fini omnium convenientissimam inservire; imò veluti certum videatur sapientiores optimi gubernii leges, in hoc immenso Encyclopædiæ volumine, omnium populorum per omnes generationes continuæ contemplationi exposito, lucidioribus characteribus descripsisse, sub longa serie sanctorum Regum merè symbolicorum, in plures dynastias distributâ, et variorum pessimorum principum tyrannide interruptâ, qualis est scilicet ea, quæ constituit totum mysticum systema veteris chronici sinensis; et quæ ex traditione sinensi videtur cælo et astris ac diversis eorum revolutionibus, seu periodis temporum, juxta rationes chronologicas sic illigata, ut olim illius heroes, seu sancti Reges in cælo spectati haberentur à sapientibus, pro totidem typis sacris et symbolicis messiæ salvatoris; simulque in terrâ suis propriis nominibus designarent sanctos Patriarchas seu Reges, iisdem astrorum revolutionibus seu temporum periodis respondentes.

Hinc etsi, juxta exposita paulò superius, Adamus, Enochus, Noe et cæteri Patriarchæ prædiluviani chronici sacri, videantur tam clarè designati secundùm seriem historicam, sub nominibus Pancoa, Fohi, Yao et aliorum dynastarum prædiluvianorum; hoc non obstat, quin juxta primævam et genuinam traditionem, librorum canonicorum propriam, singula hæc nomina sicuti cætera catenæ illius mysticæ chronici sinensis, sint ex primâ institutione omnia symbolica, uti jamde pluribus ostendimus cum sufficienti claritate; et de reliquis fusius et clarius posteà ostendetur in speciali tractatu.

Interim, ut lector possit sibi fingere aliquam speciem

utcumque justam hujus Cælestis et symbolici chronici, et in eo uno
simplici et generali aspectu intueri omnes generationes ab initio —
usque ad finem sæculi, cum singularum fastis propheticis; eas quæ diver-
sorsim subjectas singulorum dicti Chronici Regum cælesti domi- [Si modò et]
nio, pro diversâ omnium generationum dispositione et fidelitate,
quoad receptionem et fidelem observationem Legis sancti Illius unici, veri,
et supremi Regis, nempe Messiæ Redemptoris; cujus unius divinæ
dotes ac infinitæ virtutes singillatim adumbratæ relucent sub-
singulis dicti Cælestis chronici Regum personis typicis seu augustis
appellationibus, sicuti olim in purâ et primævâ Hebræorum Ka-
balâ (cum quâ hujusmodi sincera Sinarum traditio habet origi-
nem communem) ejusdem Messiæ Salvatoris divina attributa ~~et~~
relucebant oculis SS. Patriarcharum et prophetarum sub catenâ nu-
pariter mysticâ diversorum nominum divinorum, (-merosâ
vel etiam totidem superioris potestatis Angelorum, majoribus —
Universi rebus, et præcipuis per singulas generationes sæculi
eventibus præfectorum; quæ est altera valde specialis, nec
minus notabilis consonantia Traditionis Sinensis, quoad rem
præsentem, cum illâ hebræorum Kabalâ sacrâ, et quoad cætera
profunda mysteria in eâ sub similibus et iisdem typis recondita,
ut paulatim patebit in toto hujus speciminis decursu

Interim, ~~ut~~ inhærentes intimo et proprio sensui librorum cano-
nicorum et optimorum Interpretum, circa realitatem historicam,
vel merum symbolismum veteris chronici sinensis, ut sic obiter
convincamus, quot quot sunt hodie sive inter ipsos Sinas, sive inter
missionarios in opinione nostræ contrariâ; satis erit hîc proferre
aliquot selecta inter plurima alia similia graviorū Autorum testimo-
nia, ex quibus manifestè patet, totam illam prælongam seriem
dynastarum veteris chronici sinensis, à primo omnium Pan cou,
deductam, ad tres monarchas San hoam, deinde ad quinque Im-
peratoris ou ti, et plures horum successores, denique ad sanctos
trium postremarum dynastiarum Reges, juxta proprium libro-
rum canonicorum sensum, nihil habere realitatis historicæ,
sed esse chronicum verè cæleste et merè symbolicum, nec esse nisi mys-
ticam quandam et cælestem nomine tenus theogoniam, vel —
potiùs sacram typorum mysticorum seu divinorum nominum
catenam, totidem diversis hieroglyphicis characteribus nomi-
natim designantium, unicum ac verum illud perfectum vir-
tutum omnium exemplar, seu illum sanctum, quem passim vocant
cæli, terræ, hominum et Angelorum dominum, et ad quem unum
aiunt referri totam librorum canonicorum scripturam hierogly-
phicam: nam hic est præcisè proprius sensus saltem quoad
substantiam omnium testimoniorum sinico charactere sequentis

paginâ proferendorum, de cujus certitudine sicuti et cæterarum in præsenti et sequentibus scriptis allegandorum, et jam in antecedentibus allegatorum, ut possint convinci Viri docti in Europâ hujus litteraturæ notitiâ non imbuti, qui non tenentur fidem dare meæ privatæ interpretationi, concedatur mihi quæso libertas (quæ mihi fuit hucusque injustissimè sublata per Superiores locales) * conferendi de iis familiariter ore et scripto, 1o cum iis è Sociis meis, qui in hâc missione, — in plærisque meum jamdudum sentiunt, deinde cum aliis sive in eundem sensum propendentibus, sive planè indifferentibus; ut veritas per se summo dei beneficio, luce meridianâ nunc non minus clara, plurium communi sensu et auctoritate corroborata, possit tandem perstringere oculos eorum, qui ex cæcâ præoccupatione, hanc veluti in æternum sepelire volentes, et data sibi auctoritate abusi, in injustitiâ eam hucusque detinuerunt, ~~et~~ et omnes rimas obturaverunt, nè ~~vel~~ ejus radii erumperent foras.

* coram doctis Sinis Christianis et gentilib?

[綱鑑]太極生兩儀.兩儀生四象.四象變化.而庶類繁矣.相傳首出御世者.曰盤古氏.曰渾敦氏.生於大荒.莫知其始.明天地之道.達陰陽之故.盖陶鎔造化之主也.是為三才首君.[說文長箋]皇大也.从自.自始也.从王.始皇者.三皇大君也.[陸贄尊號表]道合天謂之皇.德合地謂之帝.皆至尊之殊號.極美之大名.[十三經詩疏]皇天號也.[大戴禮]帝天號也.[老子註]帝生物之主也.[十三經書序疏]本自無三皇.何云三皇.豈可三皇數人.五帝數座.二文舛互.自相乖阻也.[史記]季遠曰.三皇作天地人之名.盖虛設之言.不必有其人.[通鑑前編]劉恕曰.秦漢學者.競稱三皇五帝.而不知古無其人.仲尼未嘗道也.[十三經詩箋]湯之受命.上天命之.故知古帝謂天也.尚書緯云.曰若稽古帝堯.稽同也.古天也.是謂天為古.故得稱天為古帝也.[古傳]黃帝為五帝.文王為五帝之宗.[書禹謨註]帝王次第相繼.猶歲時氣節先後也.[公羊註]五帝在太微之中.迭生子孫.更王天下.註.堯翼之星精在南方.舜手之星精在中央.禹參之星精在西方.湯虛之星精在北方.文王房星之精在東方.[家語]天有五行.水火金木土.分時化育.以成萬物.其神謂之五帝.古之王者.易代而改號.取法五行.五行更王.終始相生.亦象其義.[史記]三王之正若循環.窮則反本.[鹿門子]聖人出於三皇.成於五帝.定於周公.其質也道德仁義.其文也詩書禮樂.[四書大全]六經之道.明天地聖人.[性理大全]六經者.聖人為治之迹也.[古傳]聖人為天地神人之主.[列子]孔子答太宰.三王五帝三皇.皆非聖人.西方之人有聖者焉.不治而不亂.不言而自信.不化而自行.蕩蕩乎民無能名焉.[論語]子曰.聖人吾不得而見之矣.[中庸]待其人而後行.

In quo minus prudens ~~vus~~ et sine scientiâ veræ sapientiæ librorum hieroglyphicorum sinensium, tot Adversariorum zelus quantum præjudicaverit ex unâ parte plurimorum Infidelium, et inter eos aliquot insignium Doctorum, eheu! Jam mortuorum conversioni; et ex aliâ certe meo judicio saluti totius missionis a tanto tempore in extremo et proximo ruinæ suæ totalis periculo positæ; ii soli scire possunt, qui longiori experientiâ norunt, ut ego, cum quantâ facilitate et suavitate, nostra hæc arcana librorum Canonicorum sinensium exponendi ratio mere Christiana et Catholica, adducat ad agnitionem veritatis Evangelicæ; inclinetque ad eam amplectendam; vel eos è philosophorum turbâ, quibus hæc antea videbatur scandalum et mera stultitia: Imo magis. Aut certe ut illi, qui mecum tam sæpè testes fuerunt, quanti ipsemet Imperator longè superioris Intelligentiæ et Eruditionis, nostram hanc suos antiquiores libros explanandi sacram rationem, à duodecim annis et ultra, hoc est ex quo cœpit habere satis distinctam ejus notitiam; quanti, inquam, hic sapientissimus Princeps semper visus sit hanc æstimare et approbare tanquam excellentem doctrinam, vereque consonam ac cohærentem priscorum sapientum doctrinæ jamdudum apud eos fere prorsus obliteratæ. Cujus ~~rei, hic jam dudum pluribus principibus, magnatibus et Potentibus Regni, et~~ Regiæ suæ approbationis, voluit sua Majestas à medio circiter anno, testem esse ipsummet Excell^mum Dominum suæ Sanctitatis Legatum cum omnibus antiquis et novis missionariis eodem tempore tunc advectis, in triplici solenni Audientiâ. In quâ, ad reformandam in Europâ, Ideam de doctrinâ librorum Canonicorum sinensium, injustè et falsò præconceptam, ex infidâ et temerariâ Expositione quorundam missionariorum, hujus profundæ doctrinæ verè imperitorum; et ad persuadendam omnibus, magnam ejus cum legis Christianæ puritate conformitatem; sua Majestas hortata est pluries et vehementer Ex.^mum D. Legatum, ut nè respueret mea super his scripta legere attentè, meque de iis serio interrogare, et de iisdem loquentem benignè audire: jubendo præsertim in hac occasione ut ego ipse agerem Interpretem hujus suæ Regiæ exhortationis, timens non sine fundamento, nè in alterius ore inverteretur, pluribus scilicet ex ipsis sociis Adversariis, qui postea suis susurris inutilem tam salutaris consilii effectum reddiderunt, tunc frontis et oculorum commotione nimis patenter significantibus, quam parum ipsis placeret tam publicè datum ab Imperatore ejusmodi approbativum meæ de librorum sinensium doctrinâ sententiæ testimonium.

Ex quo quicumque viderint scriptum, in quo nunc laboro, et anteriora duobus annis superioribus hinc Romam missa quantumvis jejunè et inconditè exarata; facilè poterunt judicare, quanti intersit, ut medio omnium convenientissimo et saluberrimo hic et isthic quantocyùs occurratur extinctioni missionis; simulque efficaciter provideatur celeriori et faciliori Sinarum conversioni; quanti, inquam, intersit, ut socii, qui mecum in omnibus, saltem quoad substantiam doctrinæ sentiunt, aut ex speciali ejus puritatis et soliditatis notitiâ, in eandem plurimùm propendent, omnes fruamur justâ et plenâ libertate mutuò inter nos scripto et ore familiariter conferendi, et unitis animi viribus communi consensu condendi aliquod benè castigatum nec valde prolixum scriptum, in quo pateat cum evidentiâ, tota essentia legis Evangelicæ è sinceris Sinarum traditionibus eruta (res non videtur longi admodùm laboris, aut valde difficilis executionis) et quod* possit certò obtinere approbationem Imperatoris, jam notoriè in sacram ejusmodi Sinensis doctrinæ explanationem tam bene affecti, et aliorum Imperii Doctorum, et consequenter reliquorum missionariorum etiam externorum, ut sublatis radicitùs omnibus impedimentis, huic nostro communi consilio semper objectis, tandem nobis concedatur et impertiatur tam salutaris, tamdiu concupita, et frustrà sæpe postulata libertas.

Post tam longam digressionem, ut redeamus ad propositam anteà ideam mystici illius chronici sapientiæ hieroglyphicæ primorum Patriarcharum proprii; videtur hic adhuc inculcandum, id quod mihi videor satis distinctè intellexisse ex traditione Sinensi alibi fusiùs exponendâ, istud chronicum esse veluti integrum systema historicum et propheticum omnium mirabilium, quæ Deus Salvator noster ab initio à Patre suo constitutus supremus omnium Rex et legislator, ex eo operatus est, et in posterum operaturus usque ad finem sæculi, pro omnium populorum Redemptione conversione et salute per singulas generationes; et pro stabiliendo æternùmque firmando super eos omnes Regno suo beatifico et universali: Et eâdem causâ optimum et omnipotentem Salvatorem nostrum ex arcano infinitæ suæ sapientiæ consilio, ad alliciendos efficaciùs omnes omnium generationum populos, ad suam sanctam legem, ad divinorum exemplorum suorum imitationem, et ad æternam Regni sui felicitatem; simulque ad eos deterrendos à viis perversis, quæ ducunt ad perditionem; voluit ut cujusvis generationis sapientes divinâ luce specialiter illustrati, possent oculis mentis ~~possent~~ legere hæc divina et salutaria arcana in hoc mystico totius naturæ et Astrorum volumine, muto quidem eloquio, sed lucidissimis characteribus Regis virtutum et Dei Sabaoth

* oblatum per manus superiorum

gloriam de die in diem et de generatione in generationem enarrantibus, et distincte præsignantibus vias sacros et reconditas, ex infinito nostri amore sibi præscriptas, quando scilicet, ut cecinit — Regius psaltes, In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gygas ad currendam viam nostræ omnium Redemptionis: atque in hunc finem totam hujus divinæ suæ excursionis et Redemptionis historiam sacram, symbolice et prophetice expressam in sole, planetis et luminaribus firmamenti, ab ipso, ut narrat Moyses, factis, ut essent in signa et tempora et dies et annos, exposuit omnium seculorum contemplationi. tanquam in speculo historico chronici mere cælestis ænigmatice seu symbolice repræsentante sacros et notabiliores eventus Regni Christi et ejus divini Regiminis per generationes singulas seorsim et successive subjectas, totidem Regum seu heroum veluti catenâ historicâ sibi invicem succedentium dominio.

⊛ Demum quia propter arctam rei geographicæ cum re historicâ connexionem, mysticum et symbolicum chronici cælestis ac prophetici, quale hucusque expositum est ex hieroglyphis sinarum traditionibus, videtur non posse rite consistere, sine simili systemate geographico, uti mihi videor clare percepisse, et jam utcumque ex iisdem traditionibus stabilivi ejus ideam supra expositam: nunc ut lector magis clare et distincte percipiat id quod in illâ ideâ generali mihi videtur præcipuum et capitale, hoc unum addendum occurrit non levi ponderatione dignum, nempe universi Creatorem Dominum, cum manum ultimam, si fas est ita loqui, divino mundi opificio — admoveret, per potentissimum ejus *Reformationis et sapientissimum actum, eam tribuisse formam cælestium orbitarum sphæris, soli, lunæ, planetis, et stellis eam inter se et respective ad omnes mundi plagas dispositionem ac situm, talesque configurationes, juxta — diversitatem revolutionum et motuum; ut primus sapientiæ hieroglyphicæ magister Trismegistus, et veterum prophetarum princeps Enochus, divini Consilii — particeps factus, et luce propheticâ suffusus, sagaci mentis — oculorum acie universalem mundi machinam, et arcanam ejus dispositionem recte contemplatus, ubique clare prospexerit et distincte observaverit tanquam in speculo lucidissimo, — totum mysticum et geographicum systema hujus mundi per creaturas corrupti, et per ipsum Creatorem Reformati; seu Regni Dei inter homines per seductorem satanam destructi et usurpati, sed per Deum ipsum liberatorem in integrum restituti, et recuperati: ac demum ex tam clarâ et distinctâ ideâ

* si forte viri docti offendantur hac distinctione, mundi primo à Deo creati, deinde ejusdem paulo post ab ipso Reformati, quæ videtur propria Traditionis Jeroglyphicæ, possumus eâ facillime abstinere, dicendo omnes mutationes mali ominis, quæ post noxam originalem et naturæ corruptionem cœperunt observari sive in terrâ sive in cœlo, esse connexas cum primæ formationis systemate has exigente, sed — tantum propter prævisam à creatore, mox futuram ingentem cordis Angelorum et hominum mutationem veram causam moralem tot ac tantarum mutationum physicarum in mundo

Sub innumeris symbolis et hieroglyphis verè geographicis delineaverit et descripseritque totum hujus destructionis et restitutionis seriem ab initio usque ad consummationem sæculi, ex unâ parte, sub ratione symbolicâ diluvii generalis corruptionis, ab ipso mundi exordio è cœlo in terram effusi, tunc ibi concitati, per luciferum sub typo perduellis Cumeum, qui draconis instar superbiæ alis in cœlum adversus creatorem suum abreptus, et ad latera Aquilonis cornibus impingens, commotis cœlestibus virtutibus, et aquis quæ super cœlos sunt, aperuit earum cataractas, et ingentem Angelorum pariter perduellium, instar diluvialis imbris, secum deorsum ruentium traxit: statimque primis generis humani parentibus similis perfidiæ tabo infectis, et sub lethiferis hujus diluvii aquis submersis, subinde primævæ hujus corruptelæ eluvionem universaliter diffudit in totam eorum posteritatem, in novem majores ætates; et in universum orbem terrarum, in novem pariter majores provincias distributum, ejus crudeli tyrannidi subjectum nomine Kieeli, seu novem Regionum populi

[四書大全] 邪説橫流壞人心術甚于洪水 洪水猛獸夷狄
篡弑皆災禍之害人身者惟在於一時若邪説乃災禍之
壞人心者且流於無窮而為害尤甚慘 [孟子] 水逆行氾濫於
中國蛇龍居之 [十三經疏] 邪説欺誣其民而充溢掩其仁義之
道也 [綱鑑] 共工振滔洪水以害天下 魯氏曰共工霸九州其
來久矣洪水堙没禹治水復分別之 [禹貢] 禹敷土隨山
刋木奠高山大川 東漸於海西被於流沙朔南暨聲教
訖於四海禹錫玄圭告厥成功
成也 [路史] 羅泌曰吾盡取禹貢之傳而讀之無不以為禹
之施功自下而之上夫上者水之源而下者水之委也上者既
己襄而懷之則下者淹沒而無餘矣今也治之而先乎下萬萬
無是理也 又曰禹貢之書實非治水作也 鄭樵曰禹貢
一書所以不可及者何耶得道之言與不知言異禹貢之言
其深於道乎書出於道非後世地理家比也 禹貢洪範相
為用 [書經] 天乃錫禹洪範九疇 [周髀] 兩矩共長二十有五
是謂積矩故禹之所以治天下者此數之所生也 [路史] 禹明
德遠矣微禹之功吾其魚乎 [四書大全] 水土平然後得以
教稼穡衣食足然後得以施教化 [淮南] 以道為竿以德為
綸禮樂為鉤仁義為餌投之於江浮之於海萬物紛紛孰
非其有 [淮南] 天有九野 [圖書編] 二十八宿分為二十八禽如
角木蛇亢金龍之類則有不可得而知者 春秋傳曰二十八
宿分在四方方有七宿共成一象虫獸在地有象在天東蒼
龍西白虎南朱雀北玄武 [史記] 子龍曰分野之說自古有之
然中國之於天下數分之一耳奈何以周天之星而分配於中國
之地

æthiopum et barbarorum, facie universi orbis ob tam funesti diluvii corruptelam planè commutatâ [veluti] in immensam et desertam solitudinem, oculis nil nisi [offerentem] maris gurgites, syrtes, rupes asperas, præruptos montes, et in iis noxia et terrifica omnis generis —

monstra, Incolarum indolem referentia; ut patet ex omnibus figuris ænigmaticis et expositione geographicâ totius libri Xan hai Kim, eâ de causâ ante aut prope diluvii tempus conscripti. —
— Cujus è contrà ex alterâ parte divini inter homines Regni et dominii eò usque veluti aboliti, laboriosa nec nisi circa consummationem sæculi complete perficienda Reparatio seu Restitutio, eaque fusè ac clarè —— descripta occurrit præsertim in ipso textu libri canonici Xu Kim, stylo pariter purè —— geographico, at multò magis eleganteac sublimi: eâque libentissimè suscepta à magno yu eximio Messiæ liberatoris typo, ut ipsi demandata à supremo Imperatore yao (figura typica Jehovah Hebræorum) ad reparandam universalem hanc diluviatis corruptionis cladem, per socordiam patris sui Koen (est genuinus Adami peccatoris typus) toti ejus posteritati illatam; ac demum post immensos et incredibiles labores cum tam pleno et felici successu consummata, tum undequaque in profundam abyssum corrivatis lutosis et fœtentibus omnium errorum aquis; tum incensis omnium monstrorum et ferarum tartarearum latibulis; ac coæquato subinde in quôcumque universi regione cordis humani solo, ad excipiendum cum spe proventus cœleste divini verbi semen: demúmque terrâ marive apertâ et complanatâ ubique viâ facili et tutâ ad deferendos in horrea Patris cœlestis uberes divini et Evangelici seminis fructus undecumque collectos: magnus ille yu, in æternam memoriam et præmium tantorum meritorum, dicatur in textu dicti libri Canonici Xu Kim, evectus à supremo monarchia yao (Jehovah seu Iao hebræorum) ad præcellentem dignitatem —— yuen heu, quâ scilicet substitutus est loco sui patris Koen (protoplastus homo) in caput, in parentem, et supremum totius Generis humani Dominum, &c cum plenâ potestate in universo Regnantem. Cujus sacræ et ænigmaticæ seu symbolicæ descriptionis geographicæ clarissimum at indubitatum et integrum extat specimen in toto libri Xu Kim paragrapho yucum, id est magni yu labores, quem totum conveniret hic transcribi.

Si veritas sacrarum traditionum pro suæ certitudinis confirmatione egeret aliquo fulcro, quale educi potest ex sentinâ omnium errorum et ex ipsâ mendacii officinâ; facile esset aliquod ejusmodi invenire, in vetustis mystarum ægyptiorum monumentis, et his quàm simillimis magistrorum diabolicæ sectæ Tao apud — Sinas traditionibus, ad confirmandam certitudinem tum geographiæ,

tura historiæ seu chronologiæ symbolicæ, in primævæ sapientiæ Jeroglyphicæ systemate non infimum locum tenentis. cum utraque hæc abominabilis sibque mutuò verè germana secta, cum militiæ cælestis cultu sub stellarum formâ, conjungat diras magiæ et Astrologiæ divinatoriæ artes; totamque Impietatem Idololatricæ, sub innumeris Dæmonum seu falsorum numinum figuris; quæ ut prædicant hi sacrilegi sathanæ ministri, constituunt totam cœlestem theogoniam, in triplicem deorum superiorum, Inferiorum & Heroum catenam distributam; ita ut tres universi Regiones, et omnes cœli et terræ plagæ et singulæ totius seculi generationes, seorsim subjaceant Eorum dominio et præsidio, juxta tempus et districtum, ex quibusdam superstitiosis spuriæ geographiæ et chronologiæ iis propriæ placitis, geniis singulis majoribus et minoribus assignatum, a supremo omnium capite satanâ, Auctore totius hujus diabolici commenti, ab eo ab initio confictæ cum tantâ astutiâ et tam fallaci analogiâ, cum sancto et felicissimo supremi omnium Domini salvatoris nri Regimine, in mystico primævæ sapientiæ hieroglyphicæ systemate descripto, sub speciæ symbolicâ Imperii universalis, in diversa Regna, et provincias, juxta accuratiores geographiæ et chronologiæ leges et per omnes generationes, subjecti dominio seu præsidio totidem Intelligentiarum, ex Angelicâ hierarchia principum (secundùm hebræos) quos sinæ vocant cœlestes præsides seu præfectos, Tien koën, diversarum christi salvatoris Regis nostri virtutum splendore peculiori insignes, juxta diversitatem dotum specialium singulorum heroum symbolici sinarum chronici; et divinorum nominum in hebræorum cabalâ; adeò ut satanas hâc fallaci et suo plenâ abominandi mysterii sui analogiâ, cum primævo et hieroglyphico divinæ legis systemate, innumeros cujuslibet ætatis et nationis homines miserè deceptos, in æternam suum traxerit ruinam: Et hinc simul clarè percipiatur ratio, cur (ut legitur cap. 3o. libri machab. primi) dum Judæi Expanderent libros legis, de iis gentes scrutarentur similitudinem simulachrorum suorum.

Sed quemadmodùm gentiles, de quibus loquitur liber machabæorum modò citatus, de libris Stæ Legis scrutabantur inanem et fallacem simulachrorum suorum similitudinem, Ex genethliacâ stellarum positione, et militiæ cœlestis illusionibus confictam: nos è contrà aut ex genuino Earundem stellarum mutuo respectu situ, et primævo sacróque symbolismo, ab ipso mundi Auctore constituto, qui fecit stellas in firmamento, ut essent in signa et tempora et dies et annos; scrutamur veritatem mysterii divinæ Legis, et sacrum arcanum mutationum in mundo ab initio usque ad seculi consummationem contingentium, quoad hujus sanctæ legis diversos progressus aut

retrocessus gradus in corde omnium gentium per singulas generationes; In quo consistit totum mysterium ænigmaticum et propheticum temporum libri mystici mutationum ye Kim, cujus verum prototypon est tota natura, atque imprimis Astra et cælum, quæ sunt causæ et Theatrum omnium mutationum naturalium, et ex divinâ institutione signa characteristica mutationum in hoc sæculo contingentium ex bonâ aut malâ dispositione gentium erga Creatorem suum et Redemptorem, Ejus sanctam legem fideliter observantium, aut eam aversantium vel perfidè violantium: ut, inquam, ex ipsâ stellarum in firmamento positione et configuratione, scrutemur sacrum hoc mysterium, ænigmaticè et prophethicè sub iis a suo Auctore reconditum, hîc ultimo loco præmonendum, satis esse si attentè contemplemur ipsam mappam nostram stelliferam sacris hebræorum scriptoribus, et græcorum ac Romanorum poëtis pariter notam; quæ quidem etsi haud dubiè decursu temporis valde alterata, videtur tamen perantiqua, et à primævâ sapientiæ Jeroglyphicæ et purissimâ origine profecta: Et tunc priscorum sapientum oculis cælestium contemplationi assuetis, clarissimè exhibuisse seriem sacram saltem notabiliorum mutationum ad Xti Regnum et sanctam ejus legem pertinentium, tanquam in sacrâ et ænigmaticâ picturâ superhumano penicillo delineatâ. Siquidem, quantumvis præsens, qualis superest, dicta mappa stellifera, deficere possit a primitivâ suâ delineatione; tota hujus forma et dispositio generalis, attentis viri christiani oculis exhibet etiamnum tanquam in symbolico et lucidissimo speculo, generalem hujus arcani mysterii speciem et concatenatam illius seriem; ut quilibet poterit facillimè experiri, planisphærium paulò majoris voluminis et distinctè delineatum, modò in recto situ, modò in inverso positum contemplando, prælectis paucis observationibus, hic eâdem causâ subjectis.

* Ad relegendum in ænigmaticâ planisphærii nostri stelliferi figurâ sensum mysticum et sacrum modò propositum, et Auctoribus seu magistris sapientiæ hieroglyphicæ veterum monumentorum sinensium, ut videtur, bene notum; observandum 1° ex mappâ stelliferâ sinarum, polum Borealem in quo fixo et immoto movetur tota cælorum sphæra, haberi pro sede Primi motoris, qui solus immotus omnia movet, et stellam polarem ideò dictam Haam tien Tati, maximum et supremum cæli monarcham: *polum verò Eclipticæ haberi pro solio filii cæli, Tien cu, id est filii Dei juxta sensum priscorum proprium, quo nomine posteri vocant suos Imperatores; præterea draconis constellationem veluti cornibus in cæli verticem impingentis, et sinuoso corporis flexu polum Eclypticæ.

* vide planisphærii figuram a nobis de industria paratam et inter cæteras insertam

* Hic supponitur colurus solstitiorum verticalis et caput draconis supra polum Boreal.

circumplectentis, esse symbolum capitis omnis Rebellionis et per-
turbationis, nempe superbi Cum cum seu luciferi In Deum et —
aeternum Ejus Filium insurgentis et ambientis exaltare Solium suum supra Astra
Altissimi, et sedere in monte testamenti in lateribus Aquilo-
*çao fu nis, in propriâ sede Filii Dei, adumbrati in viciná constella-
Cepheus tione dicta Sinicè çao fu (id est conditor et pater, quia Deus
creavit et ipsos Angelos per suum Filium) quae constellatio est
in nostrâ mappâ Cepheus dictus Rex aethiopum, In circulo
polari, sed extra Regiam poli Eclipticae sedem, et cum sceptro
inclinato ruens in inferiora, quae omnia sunt symbolica Dei-
Filii, Angelorum et hominum supremi Regis, sed propter —
perversionem luciferi, et aliorum Angelorum, nec non pri-
morum parentum, e supremi sui Dominii sede veluti Ejecti, qui
ex decreto Incarnationis Regale sceptrum veluti deponens in
caelo, et factus in terrâ Dominus et Redemptor peccatorum,
caepit esse et dici Rex populi aethiopum,

observandum 2°. in Eodem planisphaerii situ, in quo —
caput Draconis supereminet utique polo, viam lacteam
instar fluminis argentei, seu Ingentis torrentis, à summo Caelo
in infimum ruentis, et ideò In vetustâ traditione his diversis
nominibus appellati, Tien han, tien ho, In ho, Kim ho, fluvius
caelestis, fluvius argenteus, fluvius in praeceps raptus; — Ex
eadem traditione esse diffusam congeriem stellularum innume-
rabilium, et consequenter clarissimam repraesentationem mys-
ticae illius stellarum pluviae, sub quâ prisci sapientes Sinensi-
um Ejusmodi Auctores traditionum, velarunt lapsum Angelorum circa
mundi initium in terram, feroci draconis caudâ in comunem
suam ruinam è summo caelo abreptorum, instar stellarum,
ut fert textus sacr Apocalypsis. quae mystica viae lacteae positio,
et stellarum pluvia, est genuinum pariter symbolum Eluvio-
nis primaevae corruptionis, paulatim instar diluvii universa-
lis per totum orbem usque ad saeculorum consummationem
diffusae, et à Rebelli cum cum sub draconis larvâ occulto initio
in hominum ruinam concitatae: Et aliunde tam speciosum
funestissimae hujus Eluvionis aenigma symbolicum, novam —
lucem accipit ex Urnâ Aquarii inversâ (circa constellationem
Sinensem hiu diluvii Epocham signantem) super signum
piscium lino conjunctorum, quod signum è traditione Sinensi
colligimus, esse genuinum symbolum primorum parentum
primò Justitiae originalis nexu, deinde Ejusdem noxiae originali vinculo
constrictorum, simulque sub aquis primaevae corruptionis indisso-
lubiliter cum totâ sobole submersorum, ut patet ex personâ —
Adami et Ejus consortis verè typicâ, in libro canonico xu kim memo-
ratâ sub nomine Koen, tanquam causa originalis et uni-
versalis ruinae

totius suæ posteritatis, quia scilicet non posuit obices necessarios ad avertandam cladem universalem primævæ eluvionis à feroci Dracone cum eum in perniciem animarum et corporum generis humani ab initio concitatæ; et ideò, ut fert traditio, in suæ socordiæ fuit in piscem commutatus; cujus meta- pœnam morphosis speciem fert ipsa ejus nominis littera Koen per se significante piscem cino revinctum, et eum consorte submersionis posteritatem trahente.

observandum 3º. in eodem planisphærii situ, draconem inter et ophiuchum serpentis spirali flexu circumstrictum, sydus herculis calce draconis caput conterentis, et clavâ, quam manu tenet, serpentem cædentis, contemplantium oculis offerre clarissimum Typum Potentissimi Redemptoris, Angelos in cælo, et homines in terrâ, veluti uno ictu a tyrannico diri draconis et antiqui serpentis jugo felicissimè liberantis, per futuram in consummatione sæculi ejus projectionem in puteum abyssi, quem initio sibimet aperuit et omnibus reprobis sive Angelis sive hominibus, suæ Rebellionis et perversitatis sociis. qui terribilis æternæ calamitatis terminus, non minus clarè in hoc eodem planisphærii situ designatur, per constellationem sinensem eim, quæ significat puteum et carcerem, conspicuam in infimâ cæli parte, capite draconis in oppositâ et supremâ culminante: nec non in majoris canis sydere, putei (eim) syderi adjuncto in mappâ sinensi dicto han vel ngan, tanquam ejus custodi, vero ut videtur symbolo Illius Angeli, cui data est clavis Abyssi. Ultimo fine sui imposito perpetuo ac letifero bello, in mundo inter creaturas, contra Deum suum Creatorem et liberatorem, ~~[illegible]~~ ab initio, commoto; et tunc in cælo manifestè designato per Arcum Centauri, in cæli vertice draconis cornibus directè respondentem, et contentum ad primam in belli signum jaculi emissionem, veluti draconis in Regiâ et supremâ cæli sede erecti imperatum.

Cum sinæ dividant diurnam cæli revolutionem in 12. partes, horariis litteris 12 distinctas, 12 signis zodiaci seu revolutionis annuæ respondentes, singulas aliquo animalis nomine signatas, ita ut meridiana dicatur hora Equi, et huic vicina respondens horæ decimæ vocetur hora colubri seu serpentis; ideò in prædicto situ planisphærii draco culminans respondet horæ Equi (animalis superbi, et in posticâ centauri corporis parte conspicui) qui draconis initio mundi situs monstrabat dæmonem meridianum toti orbi formidandum et potestatem tenebrarum cum hâc horâ et tam ferali Epochâ conjunctam. Eadem de causâ Ophiuchus serpentis nodo arctè constrictus directè respondens decimæ nempe serpentis horæ, nec non sinensis mappæ Asterismo testudinis nomine appellato, nobis æquè ac sinis manifestè indicat verum primi parentis a serpente seducti et eum eo connexi typum. quem miserum hominis statum traditio Jeroglyphica pingit cum ~~figura testud~~inis serpentis sibi insidentis nexu veluti fræno prohibitæ abductæ. Atque hæc primævæ seductionis figura, est ea ipsa nomine hiuen ou omnibus sinis nota et in fanis impiæ sectæ tao cum reverentiâ exposita, tanquam figura meretricis magnæ, cum quâ omnes gentes et Reges terræ fornicati sunt.

Observandum 4º Eundem planisphærii situm alium nobis non minus notabilem nec minus clarum potesfacere Ejusdem liberatoris nostri typum, in constellatione Persei, post amputatum serpentibus hirsutum medusæ caput, ab Arabibus caput diaboli dictum, talarium subsidio redeuntis in cælum, et in eadem expeditione naturam humanam (seu genus nostrum satanæ vinculis constrictum) sub Andromedæ typo catenis rupi affixæ, ab ore monstri marini Infernum repræsentantis, liberatam. In quo nil vetat quin agnoscatur etiam dux exercituum Dei Sabbaoth Michaël Archangelus, maximè cùm stellarum mappa sinensis appellet heroëm eâ constellatione signatum, Tièn Kiun, id est ductorem exercituum cælestium, vel yu lin Kiun, id est Ducem Aligerum.

Plura alia similia facile esset in hoc eodem planisphærii situ observare, quem si invertamus, ita ut draconis caput obtineat infimam stationem cum centauro, in priori situ armorum et bellorum signo (unde ab initio usque ad consummationem sæculi vita hominis militia super terram) et è contra columba, ramum olivæ pacis symbolum ore ferens, teneat culmen planisphærii; in hoc posteriori situ habetur præclara repræsentatio felicis mundi status in sæculi consummatione, in quâ scilicet statio juxta sinensem traditionem, rufus draco, qui in æquinoctio verno, seu initio revolutionis Apocatastasis volavit super Astra Dei, idem in ejus æquinoctio* autumnali mittetur in profundum Abyssi, et tunc Universus orbis fruetur plenâ et æternâ pace. quæ ultima mundi Epocha, seu potius Electorum felicitas aliunde clarissimè designatur, per navim Argo et canopum Ejus gubernaculo affixum, supremam cæli Regionem pertingentem, et propriâ christianismi figurâ repræsentantem Ecclesiæ Universalis navim, integro electorum cætu aureo Agni immaculati vellere induto onustam, salvatore nostro navarchorum securissimo clavum tenente, ex omnibus maris hujus mundi periculis, et primævæ corruptionis diluvio à dracone initio commoto, fæliciter ereptam, et ad cælestis patriæ portum deductam. quæ sacra Interpretatio prædicti characteris cælestis, in hoc inverso planisphærii situ videtur tantò magis certa, quod magnus commentarius ta ciuen veteris chronici sinici idem circiter referat de magno yu, liberatore Universi ab ethiferi diluvii aquis, qui in fine excursionis suæ æquè longinquæ, diuturnæ ac laboriosæ, cùm navis, quam regebat, trajiceret aquas fluminis cælestis exteriùs ventis, interiùs dracone subeunte frustrà commotas, dicitur tutus cum Expeditionis sociis pervenisse ad ultimum terminum, dimisso dracone in fundum Abyssi, et occiso ventorum ferociore spiritu Typhone ibi sum pa appellato. omitto dicere de pluribus

* æquinoctium autumnale. Signo libræ distinctum Epocha Judicii ultimi in quâ princeps hujus Mundi Ejicietur foras.

aliis non minus claris ejusmodi sacris characteribus cælestibus in hâc inversâ coluri solstitiorum constitutione; sicuti de aliis simillimis, sive in rectâ sive in inversâ coluri æquinoctiorum positione pariter conspicuis, de quibus mihi videor jam obiter aliquid attigisse in scriptis anno præterito hinc transmissis.

~~tione defendi~~

In fine harum observationum super hujus anni et præcedentium annorum scriptis, unum est de quo admonendus est Lector, nempe, cùm in Europâ non possit ferri judicium certum de fidelitate Interpretationis textuum Sinensium, sed solùm hîc à viris in hujus litteraturæ notitiâ longo studio exercitatis sive missionariis sive neophytis christianis, et coram doctoribus* primi ordinis; eâdem causâ me in omnibus prædictis scriptis parùm admodùm sollicitum de sensu litterali et verbali plærorumque textuum Sinensium ibi allegatorum, in hoc potissimùm accuratè unicè intendisse, ut substantialem intimum et proprium redderem, quantùm satis esse mihi visum est, ut Magistri nostri possint æquum et competens ferre judicium de totâ serie expositionis sapientiæ hieroglyphicæ Librorum Sinensium, à nobis per partes huc usque propositæ, et deinceps proponendæ, si deus optimus dies et vires ulterius protraxerit, et definitivè pronuntiare quid in eâ reprobatione, quid approbatione dignum esse videatur.

* etiamsi gentilibus

De cætero veniam peto, si hæc scripta sunt tam inconditè et tam parùm methodicè deproperata, et manu cum penicillo Sinensi exarata. Hujus causa fuit adhuc perseverans missionis in proximo ruinæ suæ periculo status (non obstante Legati S.tæ Sedis adventu,) cujus saluti certæ sicuti facili totius gentis conversioni, non videtur medium illum magis idoneum et necessarium, quàm brevis aliqua et generalis benéque concinnata Expositio dogmatum Legis naturalis, ex benè selectis Sinarum traditionibus Messiam Salvatorem et ejus s. Legem spectantibus, qualis videtur facilè confici posse Romæ aut Parisiis ex diversis magisque elaboratis aliquot sociorum scriptis ibi ut suppono, recens acceptis; et ad quod, ut ego plus materiæ saltem conferre possem, necesse habui accersere unum aut alterum amanuensem Sinam, pro transcribendis cum majori celeritate quàm plurimis locis e diversis et tenuioribus meis elucubrationibus. cùm interim delineatio paulò accuratior plurium mysticarum figurarum sapientiæ hieroglyphicæ expositioni omnino necessariarum me totum postularet

[史記索隱]曰按天文有五官。官者星官也。星座有尊卑，若人之官曹列位，故曰天官。[綱鑑補]黃帝受河圖，見日月星辰之象，於是始有星官之書。[史記]黃帝考星歷，建立五行，起消息，正閏餘，於是有天地神祇物類之官，是謂五官。各司其序，不相亂也。民是以能有信，神是以能有明德。[文獻通考]按陶唐氏以前之官所治者天事也，虞夏以後之官所治者民事也。[十三經論語疏]北極謂之北辰，常居其所而不移。斗為帝車，運於中央，臨制四海，分陰陽，建四時，均五行，移節度，定諸紀，皆繫於斗。是衆星共之也。[圖書編]天樞北極，所謂北辰居其所而衆星拱之。天子為天下樞，而無為之象也。[易緯]斗為七政之樞，運天中而均四時，制五行，蓋帝出乎震之象。[左傳]角亢七宿，蒼龍之體。[路史]共工惟始作亂，振滔洪水。[品字箋]與帝天角。[淮南]昔者共工與顓頊爭為帝，怒而觸不周之山，天柱折。[春秋]莊公七年夏四月辛卯夜恒星不見，夜中星隕如雨。[穀梁疏]鄭君曰衆星列宿諸侯之象，不見者是諸侯棄天子礼義法度也。劉向曰隕者象諸侯隕墜失其所也。[事物紺珠]天河又曰天漢、天津、銀河、星漢、銀漢、明河、傾河。[書經]堯時洪水為災，鯀方命圯族。[路史]鯀殛羽山，其神化為黃熊，入於羽淵。[雜記]謂化為玄魚，故鮌字从玄从魚。[博古圖]古彝器戴雙魚。[十三經詩箋]天文有須女，屈原之妹名女須。[圖書編]羽林四十五星三三而聚散在營室之內，天軍也。[埤雅]南方井宿八星。犴野犬，黑喙善守，故以名獄犴、犴龍生九種之一，性好執，故立於獄門。

周易龍馬負圖，洛龜出書。[十三經詩箋]河圖洛書皆天神言語。[左傳]龍春分登于天，秋分入于淵。[綱鑑大全]禹濟江，黃龍負舟，舟中人懼。禹仰天而歎曰：吾受命于天，竭力以勞萬民，生寄也，死歸也，予何憂于龍焉。視龍猶蝘蜓，禹顏色不變，須臾龍俯首低尾而逝。 癸未八歲，巡狩江南，致群臣于會稽，防風氏後至，禹戮之。 陳明卿曰：防風氏身橫九畝，不免會稽之戮，聖法豈輕貸哉。[路史]戮一防風，天下可大治。[國語]仲尼曰：昔禹致群神于會稽之山，防風氏後至，禹殺而戮之，其骨節專車，此為大矣。[易既濟]九三高宗伐鬼方，三年克之，小人勿用。[未濟]九四貞吉悔亡，震用伐鬼方，三年有賞于大國。[易離卦]上九王用出征，有嘉折首，獲匪其醜，无咎。象曰王用出征以正邦也。[書胤征]火炎崐岡，玉石俱焚，天吏逸德，烈于猛火。殲厥渠魁，脅從罔治，舊染汙俗，咸與俱新。

[周易]龍馬負圖、洛龜出書、[十三經詩箋]河圖洛書皆天神言語；[易像抄]河圖自一至十五十五點之在馬背者，其旋毛之圈有如星象，故謂之圖；洛書自一至九四十五畫之在龜背者，其背文之坼有如字畫，故謂之書。[爾雅]龍在天為天馬，故房四星謂之天駟。[埤雅]按二子辰為龍，已為蛇，巳六陽具，其不為龍而為蛇者，龍至此而亢故也，宜為蛇而已。故曰亢之為言也，知進而不知退。[鴻烈註]共工天神也，蛇面人身。[左傳]龜無雄，蛇為雄，龜與蛇交，人食之立死。[博古圖]周負龜洗，洗中環以三魚，而中作一大龜負一小龜于上。昔者河出圖，龍載之；洛出書，龜載之，以河出于天而龍天類也，洛出于地而龜地屬也。漢龜蛇硯滴，二器作龜負蛇，而有行勢，其一製小獸如指大，以立背上，皆口銜物。

+

Sapientia hieroglyphica, seu Theologia symbolica priscorum Sinarum, Cujus expositione sacrum legis naturalis systema, & propheticum veritatis Evangelicae mysterium, sub parabolarum et aenigmatum cortice pluribus annorum millibus sepultum, incipit in lucem prodire.

Prooemium.

Post diuturnas & acerrimas inter Miss^rios controversias, de genuinâ priscorum Sinarum doctrinâ, quos plerique è diversis ordinibus, atque imprimis Jesuitae post P. Mattheum Ricci, in eo prae ceteris gentibus fortunatos praedicarunt, quod non solum sinceram ac distinctam veri Dei notitiam; sed etiam ceteras saltem praecipuas legis naturalis notiones, per aliquot annorum millia semper servarint; ita ut multi inter ipsos, per tam longam generationum seriem potuerint salutem suam operari: cùm Episcopus Cononensis cum paucis asseclis, impugnatâ hac communi veterum missionariorum sententiâ, ausu incredibili conatus sit eripere toti Sinarum etiam priscorum genti, omnimodam notitiam cùm Messiae Salvatoris, quem tamen ex ipso textu sacro constat fuisse Expectationem gentium, atque adeò nulli prorsus ignotum; tum etiam ipsiusmet Dei Creatoris; indubitanter asserens, vel vetustissima Sinarum monumenta, imò et canonicos ipsorum libros, non continere nisi purum putúmque Atheïsmum: atque nova haec opinio videatur jam veluti praevaluisse; quis inspecto solo praesentia operis titulo, non intueatur propositum hîc nobis consilium, tanquam inanem hominis planè temerarii conatum?

At quoniam hoc nostrum consilium eruendi veritatem Evangelicam ex vetustis gentilium Sinarum monumentis, videtur omnino consonum praxi sanctorum Patrum et doctorum Catholicorum, uti constat ex diversis aequè solidis ac eruditis utrorumque operibus, magnifico demonstrationis Evangelicae titulo, aut multiplici alio simili insignitis; & aliunde Sinarum traditiones, saltem illae, quae ab iis vulgò habentur pro canonicis, certò sint ex magis purâ et antiquâ origine, quam caeterarum nationum traditiones; jure confidimus, quicunque & rationum ponderi, et communi Ecclesiae sensui imprimis attendunt, eos adeò non offensum iri specioso hoc nostri operis titulo, in Ecclesiâ minimè obsoleto: ut potiùs omnes judicaturi sint scriptum de tanti momenti argumento, non missionariorum tantùm lectione dignum videri, sed etiam serio ipsius sanctae sedis examine et judicio; cùm illud tam directè tendere videatur ad promovendam cum majori facilitate Sinarum conversionem; quam sententia Episcopi Cononensis huic argumento opposita, videtur et esse certissimè tam sancto fini contraria.

Quia tamen hodie non desunt inter ipsos Jesuitas miss^rios, qui propter quandam triumphi speciem, à dicto Episcopo relati in causâ controversiarum; q——— supra fidem perterriti novo hoc et inexpectato,

proposito—

hujus operis executioni innumeros obices per decem annos unanimi consilio et conatu objecerunt; ad sedandos animos tam injusto timore commotos, mihi visum est in primo ejus limine quatuor aut quinque breves observationes subjici oportere.

Eâ ergo de causâ observandum primò cum S. Augustino, totam veræ Religionis Ideam ad dua tantum capita revocari; Adamum scilicet, primum hominum omnium parentem; et propter suam erga Creatorem suum infidelitatem, sui ipsius et stirpis totius ruinæ causam originalem; deinde Christum dominum per infinita merita suæ usque ad mortem in crucis obedientiæ, totius generis humani Redemptorem.

*impressi cum approbaone 3 doctorum Sorb. a R. P. Paulo Beurrier canonico Regul. Parisiis anno 1666.

Observandum 2°. ex eodem S. Augustino, cum Auctore* Speculi Religionis Christianæ in triplici lege. quamvis lex divina vulgo distinguatur "in naturalem, mosaicam et Christianam, hanc distinctionem arguere potius temporum, quàm fidei varietatem, quia scilicet eadem fides utrosque "conjungit; eos scilicet qui crediderunt Christum venturum, & eos, qui jam "venisse crediderunt, sed utrosque per unum fidei ostium, id est Christum; "diversis quidem temporibus videmus ingressos. Unde D. Paulus ad hebræos "scribens ait. Jesus Christus heri et hodie, ipse & in secula. & auctor speculi "allegatus ritè sine sic concludit. Hæc est ergo una veráque Religio, quæ catholica dicitur, quia est u[niver]salis ratione omnium locorum & temporum nam "sicut ubique terrarum fideles credunt mysteria revelata, ita ab ipso mundi "exordio, eadem credita sunt in lege naturali, ab ipsis philosophis et gentium "doctoribus, licet non ita explicitè; et in lege mosaicâ a prophetis et veris "Judæis, ut hodie creduntur à veris Christianis. quod si de cæteris gentibus Idololatriâ maximè infestis meritò dici potest; idem certè multò potiori jure credi debet de natione sinensi, quæ non nisi post Christi adventum cœpit Idolatriâ contaminari.

Observandum 3.io triplicis sanctæ legis diversitatem, quam à temporum varietate repetendam esse dictum est in præcedenti observaoe, præcipuè consistere in modo diverso, quo leges singulæ eadem divina mysteria diversis temporibus credenda proposuerunt: atque adeò legem Christianam, licet legi tam mosaicæ quàm naturali præcellentem; ab utrâque tamen minimè differre, nisi tanquam lucem ab umbrâ, vel potiùs ut rem per symbola et figuras prius adumbratam, sed postea sine velo conspicuam; ab eâdem symbolorum et ænigmatum involucris tectâ at nondum palàm revelatâ hoc tamen intercedente discrimine naturalem inter & mosaicam legem; quod in lege mosaicâ omnes figuræ sacræ et mysticæ symbola hærerent affixa cortici verborum & litterarum sacrorum bibliorum; quorum, si fides habenda præcipuis Interpretibus et SS. Patribus, nulli sunt vel minimi apices, qui non sint totidem signa sacra specialis alicujus mysterii pertinentis ad evangelicam Christi Redemptoris legem. In lege autem naturali, eadem figuræ & symbola sacra omnia affixa conspiciantur omnibus visibilibus naturæ seu dei creatoris operibus, nempe cælo, terræ, soli lunæ et cæteris sideribus, sicuti elementis, ac singulis plantarum et animantium speciebus, atque imprimis diversis hominum Indolis characteribus; cùm divinus opifex in admirandâ

mundi productione, in omnium rerum speciebus reliquerit eximia infinitæ suæ sapientiæ, omnipotentiæ, amoris, cæterarúmque divinarum virtutum impressa vestigia, omnium generationum ac populorum oculis continuò exposita, quæ veluti totidem characteres prophetici dei digito exarati, aut tanquam sigilla mystica in immenso universi volumine continuò relucentia, muto quidem sed divino eloquio pronuntiant ac prænuntiant gloriam mysteriorum dei optimi maximi secundum ordinem naturalem æquè ac supernaturalem. juxta id, quod gentium Apostolus in contemplatione naturæ non minùs, quàm in meditatione sacræ scripturæ versatus scripsit ad Romanos in 2a. Epistolâ dicens. Invisibilia ipsius per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas &c. quem mysticum ac divinum sensum cum simili claritate expressum legimus in uno textu eximio vetustissimæ expositionis libri yĕ Kim. cujus quidem libri doctrina videtur complecti adæquatum legis naturalis systema, & cujus auctor, quem sinæ reverentur sub nomine Fo hi, demonstratus est extitisse ante diluvium Noëticum, nec alius certè fuisse, quàm S. Patriarcha & propheta Enochus, verus nempe artis seu sapientiæ hieroglyphicæ ac symbolicæ parens, ac ipsissimus totius mundi magister trismegistus. Hæc porrò sunt verba prædicti textûs cou che pao hi xe vam tien hia yĕ. yam cĕ koen siam yu tien &c. y tum xin mim chi tĕ. &c. Hoc est, cùm Fo hi intentus esset in condendo mystico libri yĕ Kim scientiarum systemate; ac sursùm deorsúmque contemplabundus, in triplici creaturarum visibilium nempe cælestium, terrestrium & hominum genere, advertisset peculiares singularum convenientias cum divinis virtutibus: tunc cœpisse delineare polygrammata hieroglyphica sacri sui systematis; cujus scopus est per rationes symbolicas rerum naturalium, habentes specialem analogiam cum dictis virtutibus divinis a sensu et intellectu remotis; arte veluti superhumanâ attollere sapientum mentem à visibilibus ad invisibilia, à corporeis ad spiritualia, ac demum à naturalibus ad supernaturalia et maximè incomprehensibilia dei tum Creatoris tum Redemptoris opera, uti patebit in decursu totius præsentis operis.

周義下傳
古者包犧氏之王天下也仰則觀象于天俯則觀法于地觀鳥獸之文與地之宜近取諸身遠取諸物于是始作八卦以通神明之德以類萬物之情

Quod divinum Fo hi seu Enochi systema, artem docens per visibilia invisibilia attingendi, cùm fuerit à sancto patriarchâ Noë ultra diluvium propagatum, tunc plerisque nationum primis fundatoribus veluti commune; quid mirum, quod Clemens Alexandrinus primo libro Stromatum, nec non Eusebius Cæsariensis, & plures alii SS. Patres affirmarint, naturæ contemplationem seu philosophiam fuisse gentilibus, sicut legem scriptam Judæis, instar magistri seu præceptoris, utrosque similiter quamvis diversimodè ad Christum & legem gratiæ dirigentis.

Nè quis autem existimet hos SS. Patres hîc locutos esse de illâ vulgari et contentiosâ philosophiâ, quæ mediâ et posteriori ætate, tam in oriente, quàm in occidente divisit græcorum et sinarum scholam in diversos sophistarum greges, dissidio inconciliabili inter se pugnantes,

advertendum est diligenter prædictum SS. Patrum testimonium omnino Intelligendum esse de antiquâ illâ priscorum sapientiâ, cujus nonnulla vestigia etiamnum clarè observantur in reliquiis Philosophiæ seu Platonicæ seu Pythagoricæ, sive mysticæ Theologiæ Aristotelis, atque imprimis cabalæ sacræ moysis: hoc est de illâ divinâ philosophiâ, quæ nixa æternis Arithmeticæ, geometriæ & harmoniæ regulis (quas divinus opifex exhausit in mundi productione, cùm scilicet, ut testatur sacer codex, omnia fecit in numero, pondere & mensurâ) juxta divinas illas leges, rerum omnium naturam et proprietates scrutando, inde ad incomprehensibiles tum Creatoris tum Reparatoris vias contemplandos, sapientum mentem attollit: quæque corroborata lumine supernaturali divinæ traditionis, ab infimo et extimo rerum visibilium cortice, sub eo latentes divinorum mysteriorum veritates perspiciens, intimam sapientiæ sacræ medullam attingit, per analogias symbolicas, aut rationes hieroglyphicos cum iis connexam: Et consequenter quæ non fuit, nec censeri debet fuisse diversa a primævâ philosophiâ Protoplasto Adamo à deo ipso primitùs infusâ, et ab eo continuâ subinde traditione per Seth & reliquos SS. Patriarchas post diluvium transmissa, indéque per primos gentium conditores toto orbe disseminata; sed paulatim posteà diversimodè alterata, corrupta, et ubique demum pænè penitùs obliteratâ. Solâ gente Sinensi ex speciali quodam privilegio hærede factâ integri Thesauri hieroglyphorum, quibus sacra primævæ traditionis seu legis naturalis arcana fuerant per Enochum seu Fohi alligata: Et quorum mystico artificio cum rationum symbolicarum notitiâ paulatim pereunte; sic fermè affixæ sacrorum arcanorum notiones, simul consequenter apud Sinos prorsùs interierunt.

Observandum 4°. cum Apostolo gentium, Deum velle omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire; atque ideò SS. Patres, præsertim Augustinum, Ambrosium, Hilarium & Chrisostomum unâ voce asseruisse solem Justitiæ perinde ortum esse omnibus hominibus; et quicumque divini ejus luminis aut caloris beneficio non recreantur, id sibi ipsis solis non aliis tribuere debere. Eâdem de causâ iidem SS. Patres dixerunt datas gentibus prophetias sybillarum, continentes cognitionem propheticam mysteriorum salvatoris, non minùs claram et distinctam eâ, quâ ipsi Judæorum prophetæ prædìti fuerunt. His consentiens Lactantius toto ingenti tractatu demonstravit mysteria Religionis philosophis gentilibus non fuisse ignota, suum hunc tractatum concludens his verbis omnium memoriâ dignissimis. Totam igitur veritatem et omne divinæ Religionis arcanum philosophi attigerunt.

Hinc qui ætate nostrâ Eruditionem sacram cum prophanâ felicius conjunxerunt, veluti Episcopus Meldensis in suâ historiâ universali, Episcopus Abrincensis in suâ demonstratiõe Evangelicâ, Auctor speculi Chris-

Religionis in triplici lege, post S. Thomam unanimiter pronuntiarunt, veram Religionem ante Tempora Abrahami fuisse diffusam per universum orbem terrarum.

Hinc pariter Thomassinus ex congregatione oratorii, qui in utroque hoc eruditionis genere tantopere excelluit, in præfatione cujusdam operis, quo docet methodum studia prophana in usum christianum convertendi; pro basi hujus operis posuit, Noe filios veræ Religionis notitiam tradidisse coloniis omnibus, quas Dei jussu in omnes Regiones miserunt. Et ex eo notitiam veritatis Evangelicæ diutissimè ubique conservatam. Cujus quidem rei fidem facit Genebrardus in suâ chronologiâ, ubi numerat integros populos et numerosas societates, quæ circa tempora Abrahami et plura post sæcula, priscorum Patriarcharum Religionem servabant. quod intelligendum potissimùm de Brachmanibus Indorum & Sinarum philosophis. Siquidem Eusebius Cæsariensis libro 6°. de præparatione Evangelicâ in fide cujusdam Autoris christiani secundi sæculi describit Bactros, Brachmanes et ipsos Seras, tanquam solius Dei veri Adoratores, et ab Idololatriâ, fornicatione et omni malignitate abhorrentes. Hinc demùm singulorum ordinum Miss.rii, qui ex Europâ ad spargendum semen Evangelicum in agro Sinensi, huc primi accesserunt, sicuti plerique ipsorum successores. in vetustis Sinarum monumentis, sine magno labore observarunt innumeras notiones sacras cum præcipuis legis Evangelicæ mysteriis mirum in modum consonas; in confucio ipso totâque ejus doctrinâ aliquid propheticum agnoscentes. Unde R. P. a S. Mariâ ex ordine S. Francisci Miss.rius asserere non dubitavit, Confucium fuisse divino lumine illustratum; & adeo electum ut præesset puritati doctrinæ, eámque suæ genti annuntiaret: idémque missionarius librum typis Sinicis Edidit ad ostendendam perfectam doctrinæ Sinicæ cum christianâ conformitatem.

Similiter quidam ex ordine S. Dominici missionarii iisdem vestigiis insistentes, Confucii doctrinæ & morum sanctitatem ita deprædicarunt, ut cum ipsis Sinis dicere non dubitarint, hunc fuisse à puero sapientiâ et sanctitate ornatum, & à Deo missum, ut esset instar facis ad Illuminandos cæcos, et veluti ligneum Crepitaculum ad Excitandos surdos, omnésque dirigendos in vias rectas. In quo RR. Patres feliciter concordant cum iis quæ R.P. Thomassin retulit de Socrate, diogene et Zenone respectu græcorum.

Denique nè hîc prætermittantur Societatis Næ Miss.rii, cùm ex plurimis eorum libris hic et in Europâ editis notum sit, eos omnes, vix uno solo excepto, hanc doctrinæ Sinicæ cum sanctâ lege magnam conformitatem primos agnovisse, quid opus est hic congerere eorum testimonia. At quia unus inter eos Longobardus, à communi cæterorum sensu discedens, circa proprium significatum vocum Tien & Xam ti, quibus philosophorum schola huc usque per quadraginta aut quinquaginta secula verum Deum appellavit, quin hæc divina appellaõ fuerit per

abusum alli — alteri objecto attributa, quàm duobus hominibus, qui ante Christi adventum vixerunt, & quidem per duos aut tres Imperatores, quos sui successores cum totâ philosophorum scholâ palàm hucusque improbarunt: juvat hic proferre testimonium unius non ignobilis doctoris Christiani à dicto P. Longobardo plurimùm laudati, quod extat in libro satis noto de decem præceptis decalogi, ubi prædictus doctor disertè extollendo usque in cælum Confucii doctrinam, asserit hanc esse perfectè consonam Theologiæ Christianæ, quam profitemur. Cujus testimonii soliditas egregiè confirmatur auctoritate Patris Phil. Couplet, qui in proœmiali declaratione editâ in capite scientiæ sinicæ, non tam privato, quàm communi omnium Sociorum nomine loquens ait, Sinas verum Dei cultum, et sinceram legis naturalis notitiam per traditionem accepisse à Noëmo per ejus filios ac Nepotes, et ideò verum dei cultum juxta instituta legis naturalis diu viguisse apud Sinos.

Cùm verò Auctor Speculi Religionis in triplici lege anteà bis citatus, fuerit specialiter addictus Seminario gallico Exterorum Missionum, voluerítque adjungi clericis gallis, qui primi cùm Episcopis missi sunt in hunc orientem ad propagandam S. Fidem: et ideò illius Scriptoris auctoritas debeat esse majoris ponderis — apud D. Cononensem, quàm omnium Jesuitarum testimonia; in fine 4.^tæ^ hujus observationis, proferendum est insigne illius Auctoris testimonium, quale extat in capite 19. libri 2. ex diversis missionariorum Sinensium relationibus, quarum erat perstudiosus, conflatum. "Quis — dubitet, inquit, *Fohium fuisse unum ex filiis vel nepotibus Sem? Imò ipse — "met Sem, qui vixit quingentis annis post diluvium, potuit hoc regnum Sinicum fundare, ut et alia, cùm enim fuerit per tot annos summus Pontifex " legis naturæ, certè tanquam pius zelator divini cultûs usque ad ultimos " orientis terminos potuit se transferre, ut Dei veri Religionem ubique " prædicaret, præcipuè cùm Pater ejus Noe, licet senior usque ad Italiam se " contulerit. Eodem zelo motus, ut asserunt plerique, uterque (Sem et Fohius) " pietate et virtutibus convenerunt, et Dei cultum instituerunt, eásdemque " christianæ fidei prænotiones tradiderunt. Quidquid sit, certissimè constat, " pergit idem Auctor, Sinenses easdem tenuisse veritates de mundi Creatione, " de productione primi hominis ejúsque casu, de diluvio, de Trinitate, de " Redemptione humanâ, de Angelis et dæmonibus, de purgatorio, de æternâ " remuneratione, de Justorum & Impiorum pœnâ, & alias quas SS. patriarchæ tenuerunt."

*. Sine jure sacram suam doctrinam acceptam referunt Fohi suo prædiluviano, idest Enocho (ut solidè probabitur posteà) sed mediatè tantum per manus Noë atque ejus filiorum.

Hucusque auctor Speculi, cujus verba à me hic allegata, cùm singillatim referant essentiales legis Evangelicæ notiones, eásque nonnisi ex — antiquorum missionariorum testimoniis genti Sinicæ attributas: hæc sicut cætera in præcedentibus observationibus annotata velim diligentissimè perpendi, ab iis, qui cum Episcopo cononensi, nil nisi doctrinam Athëisticam in Sinarum monumentis etiam vetustissimis observarunt: tum abiis, qui de infinitâ dei optimi erga omnes populos misericordiâ, minus piè aut

catholicè existimant, vix ulla extare vestigia mysterii SS.^æ^ Trinitatis, Incarnationis et aliorum similium in omnibus gentilium monumentis; et ideò judicant temeritate plenissimum consilium à nobis susceptum eruendi è vetustis Sinarum traditionibus integrum systema veritatis Evangelicæ.

Sed si omnia suprà observata nihil movent animos tam injustè præoccupatos; ea sufficient, confido, ad impediendum quominùs æquiores verum æstimatores hoc propositum carpere vel condemnare audeant, — antequàm prodierint plæraque et præcipua, quibus nititur fundamenta. Cùm enim antiqui missionarii, ex quorum mente Auctor Speculi tam affirmativè asseruit, Sinas tenuisse omnes veritates Evangelicas in allegato testimonio deductas; hos omnes ipsimet deprehenderint apud Sinos. cur hodie eorum successores, saltem ii qui longiori studio et cum feliciori — successu in illis indagandis insudarunt; easdem et plures alias similes non deprehendant, eásque omnium oculis exponere — audeant et speciali dei auxilio fulti, singulas insignium sine numero — textuum irrefragabili auctoritate confirmare attrectent?

Dixi longiori studio & cum feliciori successu. Nam, ut de me uno rationem reddam: Etsi tenuitatis meæ probè conscius, dissimulare non debeo, debitas tamen divinæ bonitati pro singulari beneficio grates agendo, me antè triginta annos ingressum in hanc missionem, accessisse ad studium characterum et librorum hieroglyphicorum hujus nationis, cum quodam subsidio ad id planè necessario, et cæteris antè me missionariis minùs noto; nempe cum mente imbutâ, non solùm principiis præcipuarum partium mathematices, in quibus plurimi quidem excelluerunt; sed etiam cum sufficienti notitiâ scientiæ hieroglyphicæ ægyptiorum, sacræ cabalæ Hebræorum, nec non philosophiæ Platonicæ, Pythagoricæ &. quæ studia negligere solent, quicumque in Europâ cogitant de ministerio Apostolico totâ vitâ obeundo apud exteros inter Infideles.

Et verò utriusque hujus generis scientiarum qualiscumque notitia à me hùc ex Europâ allata, a primo exordio studii litteraturæ hieroglyphicæ, toto triginta annorum curriculo, quibus totus in eo incubui, semper fuit mihi instar cælestis facis, abdita sapientiæ hieroglyphicæ adyta collustrantis: cujus mysticâ luce, symbolorum, hieroglyphorum, ænigmatum ac parabolarum umbris, quoad majorem partem dissipatis, cæpi jam a multis annis integrum legis naturalis seu veritatis Evangelicæ mysterium, sub iis symbolicè et propheticè occultum, veluti nudo oculo contemplari.

Quapropter jure sperare posse mihi videor, —— qui voluerint mecum attendere, ut par est, mysticis prædictarum artium seu scientiarum — principiis, quibus observavi niti totum systema sacrum sapientiæ symbolicæ veterum Patriarcharum, omnia legis Evangelicæ arcana complectens; eos mecum pariter facilè agnituros, in decursu præsentis operis, thesaurum sacrum traditionis legis naturalis, à prædiluvianis Patriarchis per Noë ad Sinas transmissum, et usque ad præsentem ætatem, apud eos, quoad maximam —— partem servatum, etiamnum reperiri in hieroglyphicis ipsorum monumentis. Cujus immensi Thesauri perfecta expositio, cùm requirat

viros in omni scientiarum genere consummatos; attentâ virium mearum debilitate, non decet tanti moliminis argumentum à me tractari, nisi tanquam primum ac rude specimen, attingens solam ejus Ideam et oeconomiam generalem; et exhibere incipiens capitalium mysteriorum notiones cum tantâ claritate & evidentiâ symbolicè expressas in dictis traditionibus: ut doctissimi quique Missionarii hoc specimine stimulati, unanimi consilio et conatu, totum priscæ sapientiæ Sinarum seu veterum Patriarcharum systema sacrum, in pristinam lucem revocandum suscipiant.

Sed quia, ut ejusmodi Viri ad tanti moliminis tantique momenti propositum facilius adducantur, omnino convenit, ut æquè ac nos plane convincantur, non solùm de indubitatâ inter Doctores Catholicos identitate utriusque legis, nempe naturalis et Mosaïcæ cum Christianâ, quoad substantiam et dogmata essentialia; sed etiam de ejus continuâ per symbola et ænigmata traditione à protoplasto parente Adamo usque ad diluvium; à diluvio seu à Patriarchâ Noë usque ad Abraham, et Moysen, à Moyse ad Messiæ adventum, non fuerit abs re hic adhuc adducere tria aut quatuor loca Speculi Religionis in triplici lege. Primum excerpsimus ex capite secundo libri decimi, in quo feliciter aggressus demonstrandum, in lege naturæ fuisse notitiam dogmatum legis Evangelicæ, sic loquitur. In lege naturæ christiana Religio apparuit, cùm Deus pro suâ benignitate primis parentibus post lapsum Adami, promisit Redemptorem suum filium incarnandum, ut caput serpentis contereret; cum eundem Abrahæ & cæteris Patriarchis repromisit; cùm iisdem sub diversis umbris mysteria Trinitatis & alia designavit, præcipuè cùm signum aliquod veluti sacramentum primæ originalis culpæ purgativum præscripsit &c.

In eodem 2°. libro cap. 9, citato hoc singulari textu apocalypsis. Vidi Angelum volantem per medium cœli habentem Evangelium æternum, Idem Auctor hinc vitè infert, unicam ab ortu mundi fuisse Religionem, et eandem unicam duraturam usque ad finem mundi, quia scilicet est unicum Evangelium, de cujus observatione vel transgressione judicandi sunt homines omnes, qui purgati sunt in sanguine testamenti æterni, et agni immaculati, qui occisus est ab origine mundi, id est in figuris. Deinde eandem Religionem ad ipsos Angelos extendens ait. Imò ab ipsis Angelis christiana Religio videtur cultu observata, in quantum christum crediderunt et adoraverunt venturum. juxta illud 1æ Ep. pauli ad Tim. magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus. Nec solùm christus apparuit Angelis, sed etiam ipsi de plenitudine ejus acceperunt gratiam suam, secundùm mentem SS. Patrum, atque imprimis S. Augustini, ex omnibus Justorum tribubus et Angelorum legionibus, unicam sanctam civitatem conflantis, sub uno capite et Rege christo domino.

Præterea ejusdem libri capite 8.vo Tandem, inquit, illa* lex naturæ non tantum floruit usque ad legem mosaïcam, quæ ei fuit superaddita



dita, sed etiam usque ad christum in omnibus gentibus & populis &c.

Demùm capite 29°. ejusdem libri agens de Patriarchâ Abrahamo, quicumque (ut ibi rectè observavit) meditatus fuerit — librum Jetzirah, dubitare non poterit, quin arcana fidei christianæ omnia a deo revelante acceperit præcognita; plura gymnasia philosophorum & Theologorum fundaverit, quos omnes veram dei mysteriorum traditionem seu cabalam docuit, ut doctor & propheta

Suppositâ christianæ seu Evangelicæ legis prænotione trans velum allegoriarum et symbolorum in lege naturali æquè ac in lege Mosaïcâ; et ejusdem traditionis ab ipso mundi exordio, usque ad christi adventum propagatæ apud omnes gentes vel remotissimas a monte Sion, quales sunt Sinæ: cùm hujus traditio apud nullam facta sit cum tantâ puritate, integritate et universalitate, et sub figuris, parabolis, symbolis et ænigmatibus, tam sacris et propriis legis divinæ, sicut apud hebræos, in quorum superstitibus — veteris Kabalæ suæ monumentis, totum Legis Evangelicæ mysterium non obscurè relucet etiamnùm, sub mysticis — ejusmodi velorum umbris: Aliunde verò — hieroglyphica priscorum Sinarum sapientia sic revocanda videatur, uti, re per multos annos diutissimè et diligentissimè discussâ, esse intellexi; et patebit, spero, cum sufficienti evidentia in serie continuâ præsentis operis: nunc ut genuinam & generalem sapientiæ hieroglyphicæ priscorum Sinarum Ideam firmiùs & clariùs statuam, exponendo scilicet generatim, in quo consistat divinum systema Theologiæ symbolicæ, in lege naturæ SS. Patriarchis cœlitus ante diluvium traditæ; hic paulò fusiùs præmitti oportet Ideam generalem & accuratam traditionis sacræ, seu cabalæ sacræ ab initio mundi usque ad christum deductæ, ex mente scriptorum qui doctius de ea scripserunt, inter quos excelluerunt picus mirandulanus, Reuchlinus & galatinus.

*Galatinus quidem Theologiæ & linguarum peritiâ clarus, in opere * ex ordine S. francisci. floruit de arcanis Catholicæ veritatis contra Judæos, de Cabalæ nomine disserens hæc habet. Nomen hoc Cabala, licet neque apud SS. Patres, neque apud ecclesiæ doctores, neque apud magistros nostros inveniatur; atque idcircò suspectum videatur; nihilominus ejus origo est æquè sacra atque antiqua. ... facultatem hanc, quàm Cabalam vocant, priscis quidem temporibus nefas erat cuiquàm nisi eruditissimo senioque confecto tradi. quamobrem neque ullam ejus particulam scripturæ mandari licebat. Recentiores

Recentiores

Recentiores autem Judæorum doctores, ne paternum illud dogma evanesceret, de hujusmodi facultate aliquid scripto ediderunt in lucem, sparsim tamen ac nonnullis velaminibus obumbratum; quo profectò fit ut paucissimi rectam ejus intelligentiam capere valeant . . . quocirca neque mirum est, si nomen hoc cabala, sive facultas hoc nomine designata, rarò huc usque in ore sanctorum cæterorúmque sapientum habita sit; et si de ipsâ veteres nostri non meminerint.

Nihilominùs, pergit galatinus, quidam solerti ingenio linguæ sanctæ ac divinæ philosophiæ notitiâ suffulti, hujus scientiæ sublimitatem et excellentiam considerantes de eâ multa scripserunt. nam Picus primus de eâ quasi è longinquo aliqua suspicari cæpit. Capnio quoque noster (Reuchlin) in tribus libris, quos de arte cabalisticâ ad Leonem hodiernum Pontificem maximum elegantissimè inscripsit, plurima admodum præclara protulit in lucem . . ægidius etiam Viterbiensis omni litterarum genere apprimè eruditus, et ideò ad cardinalatum evectus, in libello de litteris sanctis minimè sua hujusce divinæ sapientiæ fundamenta jecit.

His præmissis ex galatino circa cabalæ nomen et præcipuos scriptores catholicos, qui ejus mysteria arcana scrutati sunt majori cum diligentiâ, nunc proferamus ex Reuchlino ejus ideam et definitionem

Cabala, inquit Reuchlinus, est divinæ Revelationis ad salutiferam Dei et formarum separatarum contemplationem traditæ symbolica receptio. quam qui cælesti sortiuntur afflatu, recto nomine Cabalici dicuntur. Primarium, universale ac præcipuum divinitatis revelatum, profectò est aliud nihil, quàm post ruinam primordialem generis humani universalis restauratio, quæ à Latinis salus, ab hebræis Jesuah nominatur. deinde hujus arcanæ facultatis originem attingens ait Patrum præceptores fuerunt Angeli noti, videlicet Raziel præceptor ipsius Adam Hic autem summi Dei nutu expiationis viam ei ostendit, et divinum sermonem per allegoriam recipiendum, more cabalistico exposuit, cujus non modo verbum ullum, sed ne littera quantumcumque exilis, ac nè apex quidem frustrà ponitur.

Cùm porrò nullus esset seu Raziel, ut ait Reuchlinus; seu gabriel, ut tradunt multi Rabbini, ad solandum Adamum dum deploraret horrendum suum lapsum, prædictus Autor refert ex hebraïcâ traditione, hunc Angeli cum Adamo sermonem. Ne (inquit Angelus, ô Adam) ni suprà modum conficiaris gemitu, quod te duce genus humanum, in summam corruit perditionem, quoniam hoc originale peccatum expiabitur. nam ex tuâ progenie nascetur homo justus et pacificus vir heros, cujus nomen continebit in miserationibus has quatuor litteras J. H. V. H. (Jehovah) Ille per rectam fidem et placidam oblationem, mittet manum suam et sumet de ligno vitæ, et ejus ligni fructus erit omnium sperantium salus. quo sermone finito, ille damnatus et ærumnosus Adam confidens in Deum, idcirco incredibili erga factorem suum amore actus, divinæ clementiæ gratiam. habuit. hæc fuit, concludit Reuchlinus, prima cabala primordialis salutis nuntia:

qui Autor paulò superius ex hoc textu genesis, Ecce Adam quasi unus ex nobis, ritè —— conjicit, Alterum quendam esse Adam cælestem Angelis in cælo demonstratum, unum ex Deo, quem verbo fecerat; et Alterum esse Adam terrenum repulsum à Deo. Iste unus est cum Deo, hic non modò alter est, sed etiam alius & aliud à Deo . . . Ecce, inquit, hic est ille Adam, qui non tantùm post orbis et vestri ortum essentialiter est, sed etiam ante omnem Creationem, in æternitate fuit unus ex nobis antequàm tempus fieret. quod *onkelus sic interpretatur. Ecce Adam sunt unigenitus meus in æternitate.

Quamobrem, pergit Reuchlinus, cùm singula hæc Adam uxori suæ palàm renuntiasset, cæpit eâ præsente ad posteritatis commemorationem et gratiarum actionem erecto altari deo sacrificare. Hinc magistri nostri tradiderunt, quod tunc Adam primus obtulit juvencum. Deinde adolescentibus filiis Abel et caïn hanc cabalam tradiderunt, tam ardenter ab Abel amatam, quàm viliter a caïn despectam.

* Autor paraphrasis chaldaicæ in pentateuchum, qui floruit ante Xtum in magnâ æstimatione juxta Tornielum et galatinum.

Præceptor Abrahæ fuit zadkiel, qui eandem ei cabalam tradidit recipienti, quam Adæ protoplasto Raziel. Terra moria est digito Dei Abrahæ demonstrata, in quâ primus Adam struxit Altare, obtulitque munera; ubi et caïn et Abel, ubi et Noe filiique ipsius sacrificaverunt; & in loco eodem Urbs sancta Jerusalem constructa est. moyses de omni ratione et modo restaurandi originalis casûs, institutus fuit ab Angelo suo metatron. Hæc receptio subinde a Patribus ad Collegium prophetarum transmigravit, qui tractatione quotidianâ inter se conferebant de aureo messiæ sæculo, uno quodam societatis vinculo in ipso messiâ salvatore connexi. Hinc vota prophetarum diversimodè expressa. obsecro domine, mitte quem missurus es. Utinam dirumperes cælos & descenderes. Excita potentiam tuam ad salvandum nos. Deus converte nos et ostende faciem tuam. Expectabo deum salvatorem meum. Veniens veniet, et non tardabit &c.

Post prophetas, expectatio salutiferi adventûs messiæ, totáque cabalistica exercitatio, quam rectè in ejusdem messiæ sempiternam liberationem implicant atque reducunt, omnis ea planè ad scribas legis et seniores, quos appellant Capita Patrum, et ad magni consilii viros descendit, successivè receptâ scholasticorum more ab Esdra, qui cabalam tradidit Simeoni Justo Sacerdoti magno synogogæ præfecto.

Picus verò, qui Reuchlino & cæteris hujus arcanæ scientiæ studiosis facem præferens, ejus sacra et obscura adyta primus penetravit, in 5. Apologet. quæst. hæc habet. Est ergo sciendum, opinionem esse non solùm quamplurimorum ex sapientibus Hebræorum, sed nostrorum etiam doctorum, quondam præter legem, quam deus dedit moysi in monte, et quam ille quoque libris obtentam scriptámque reliquit; revelatam quoque fuisse eidem moisi ab ipso Deo veram legis expositionem, cum manifestatione omnium mysteriorum et secretorum, quæ sub cortice et rudi facie verborum legis continerentur; hoc est spiritualem illam scripsisse, et ex præcepto dei populo communicasse. De hâc verò mandatum

ei à Deo nè eam scriberet, sed sapientibus solùm qui erant septuaginta, communicaret, quos idem moyses ex precepto Dei elegerat, ut successoribus suis nonnisi vivâ voce revelarent, et illi aliis ordine perpetuo. quæ Pici verba ferè consonant cum iis, quæ S. Hilarius in expositionem psalmi secundi, quare fremuerunt gentes scripsit. Erat autem, ait S. Doctor jam à moyse ante institutum in omni synagogâ esse doctores. nam idem moyses, quamvis veteris testamenti verba in litteris condidisset, tamen separatim quædam ex occultis legis secretioris mysteria, septuaginta senioribus, qui doctores deinceps manerent intimaverat.

Atque, ut ibidem observat Picus, hoc Institutum in integro permansit usque ad tempus Esdræ, quo, ut hic scriptor testatur, de illâ doctrinâ, nihil erat scriptum. Postquàm à Babylonicâ captivitate restituti fuerunt per cyrum, & sub zorobabel instauratum fuit templum; tunc Esdras qui fuit præfectus synagogæ, postquam reparavit legem scriptam moysi, et correxit testamentum vetus, voluit etiam ut illa secreta dei eloquia, quæ usque ad illud tempus scripta non fuerant, scriberentur. Et hoc quia propter captivitatem gentis non poterant servare illum ordinem tradendi sibi illam doctrinam; statuit ergo ut scriberentur, adhibitis ad id specialiter notariis, et qui erant septuaginta seniores, sive consiliarii, inter quos erat hæc doctrina; jussit ut redigerentur ea omnia secreta in septuaginta volumina principalia, quæ tamen deinde nonnisi sapientibus communicarentur. Et hoc est quod apud *Esdram legitur his verbis. Exactis 40. diebus locutus est Altissimus dicens: Priora quæ scripsisti, in palam pone, legant digni et indigni. novissimos autem 70. libros conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo. In iis enim est vena intellectûs et sapientiæ fons, & scientiæ flumen, et apud hebræos in sedervolam libro seculorum habetur. Hinc illius doctrinæ etiam Dominus meminit in evangeliis dicens. Super cathedram moysis sederunt scribæ & pharisæi. omnia ergo quæcumque dixerint vobis. servate & facite hucusque picus mirandul. in loco initio allegato

* Lector consulat ea quæ referuntur in commendationem hujus Auctoris sive apud vadingum, sive in bibliothecâ Sixti Senn. sive in Apparatu sacro Possevini

Jamverò redeamus ad *galatinum, qui Pici & Reuchlini scriptis edoctus magis fusè, dilucidè, et accuratè scripsit de arcanis catholicæ veritatis non obscurè expressis et prænuntiatis, in Judæorum cabalâ et eorum libris Talmudicis; hunc quæ potissimùm audiamus. Duplex, inquit, circa initium sui operis jam citati, apud Judæos est dogmatum genus, quibus ipsorum synagoga initio nunquam destitit. Alterum vocant legem, quæ scripto; alterum legem quæ ore tradita est. traditio scripta traditio oralis. Lex oralis nihil est aliud juxta Talmudistas, quàm ipsius legis explanatio, quam moysi unà cum lege scriptâ traditam asserunt. Ipsa autem legis explanatio ad geminum tendit sensum, litteralem scilicet et spiritualem sive mysticum, quem utrumque à moyse, non nisi ore traditum affirmant. Et hanc legem eam esse dicunt, de quâ hoc legitur in capitulis Patrum (pirké avoth) moses accepit legem de sinaï et

eam tradidit Josue, Josue autem senioribus, seniores autem prophetis, prophetæ verò viris synagogæ magnæ.

Bibliæ divisio secundùm hebræos est in 24. libros, qui distribuuntur in quatuor partes, quorum prima dicta tora, lex, continet pentateuchum. 2a. prophetas primos; 3ia. prophetas postremos. 4a. libros agiographos. — Præter prædictos 24. libros, nihil scripturæ apud Judæos usque ad tempus Ezræ extitisse. certum est, pergit galatinus; Ipsa enim legis commentaria tam litteralia quàm mystica seu spiritualia ab ipso mose legislatore ad babylonicam usque transmigrationem successivè inter prophetas et sapientes pandebantur. Post babylonicam verò captivitatem, ipso Ezra legem, quæ in templi eversione combusta fuerat, rescribente, cæteri sapientes ipsius legis expositionem scribere cœperunt, nè legis explanatio periret. quo factum est, ut omnes illi sapientes, quos a Babylonicâ transmigratione, usque ad primam Talmudici codicis scriptionem esse contigit, (qui in pirke avoth, seu capitulis Patrum, viri magnæ synagogæ appellantur) legem quæ docuisse constat verbo pariter & scripto ejusdem legis expositionem auditoribus suis tradiderint. quorum tanta est apud Judæos auctoritas, ut eorum scripta, ex quibus postmodùm confectus est talmud, primum post prophetas locum obtineant, nec immeritò, cùm eorum doctrina à prophetis ipsis, quorum ipsi et discipuli & successores fuerunt, eis immediatè tradita fuerit. quare neque mirum est, si ex ipsis, qui christi præcesserunt adventum, legem prophetásque exponentes, infinita penè et admodum mira de christo déque christianæ fidei veritatibus, scripto tradiderint, quæ omnia Talmudicis libris passim ———— inseruntur.

Inter eos, qui postremò ante christi tempora floruerunt, celeberrimi fuerunt Hillel et Samæus, de quibus præclarè Josephus in libro antiquitatum, dicit Hillel floruisse anno ante eversionem Templi 2di centesimo, et habuisse discipulos 80, quorum triginta dicti sunt digni, super quos divinitas descenderet, sicuti super moysem . . . . . . Hillel autem et Samæus legis expositionem Joanni zachæi filio et Simeoni Justo Hillelis filio tradiderunt. ordo ille hactenùs deductus ex Patrum capitulis pirké avoth elicitus est, ubi postremus omnium Simeon Justus, qui christum suscepisse in ulnis ponitur. Ex quo palàm profectò ostenditur, in eo Judaïcæ Academiæ sceptrum penitùs defecisse. Rabbi tamen moyses ægyptius hunc docendi ordinem ulteriùs prosecutus, ait eundem simeonem Justum, gamalielem cognomento senem, ad cujus pedes paulus legem didicit, auditorem habuisse. Is itaque gamaliel fuit ille legis doctor, qui petrum cum reliquis Apostolis à nece liberare omni conatu studuit, dum pro eis in concilio peroravit.

Ramban simeon gamalielis filius et discipulus habuit filium sui auditorem nomine Judam, quem Judæi pro ejus doctrinæ et probitatis excellentiâ Rabbenu hacadosch, hoc est magistrum nostrum sanctum cognominant. Fuit tamen et alius Rabbenu hacadosch, qui tempore Romanorum consulum, et doctrinâ & prophetiæ spiritu claruit, ac multa et quidem miranda de christo scripsit. quapropter Judæi recentiores, nominis similitudine decepti, illum hunc fuisse

existimant; quo fit, ut hac usi cautelâ, quæcumque ille futura de Christo
prædixit, negare contendant.

Hi igitur ferè omnes, quos post Ezram Judaicæ Academiæ præfuisse
commemoravimus, ac alii ex eorum Auditoribus penè innumeri, multa
de legis explanatione scriptis reliquerunt, ex quibus postmodùm Talmud
confectus est. Inter authenticos Judæorum scriptores, qui Christi adven-
tum antecesserunt, ex quorum potissimùm scriptis confectus est Talmud,
primo loco accerseri possunt 72. Interpretes, qui anno circiter — ante
Christi Nativitatem 250.mo rogatu Ptolemæi philadelphi Alexandriam
missi sunt ab Eleazaro Pontifice, ibique totam bibliam in græcum
eloquium transtulerunt. his addit galatinus post Talmudistas, post
philonem hebræum, post Augustinum et alios è nostris, fuisse Spiritu S.to
afflatos — Jehosua Syrach, cui vulgò tribuitur liber Ecclesiasticus —
habuit pro Avo suo unum ex 72. Interpretibus nomine pariter Jehosua,
qui liber licet non sit in canone 24. librorum, est magnæ apud Judæos
autoritatis.

Aristobulus philosophus Hebræus, Rabbi Joddam, R. Ibba, R. Simeon
filius Johai, et alii ante christum plura de messia et ejus divinitate —
præclarè scripserunt. Rabbi Simeon Johai Trinitatis mysterium cla-
rissimè insinuat. Rabbenu hacadosch librum scripsit cum hoc
titulo Revelator secretorum, in quo omnia Christi mysteria ita aperuit,
ut non futura prædixisse, sed res gestas tanquam Evangelista narrasse
videatur. Simeon Hillelis filius, qui dicitur Justus, et in quo magnæ
Synagogæ — sceptrum defecit, is nempe qui Christum in ulnis suscepit,
multa de messia dixit, et ejus dicta passim in libris Talmudicis —
repeririuntur.

Ex horum igitur omnium dictis, et aliorum quamplurimorum,
qui iisdem temporibus, super legem et prophetas scribentes, palàm osten-
derunt Dominum N. Jesum Christum, et unicum dei omnipotentis
filium et verum fore messiam, totus ferè Talmud compactus est.

Quanquam Judæi nostri temporis, qui sunt gentis suæ immundissima
fæx, omnes perversè exponant legem & prophetas de messia loquentes:
non pauci tamen eorum, qui non multò post christum scripserunt, de
christo Jesu & christianis benè senserunt; inter quos excellunt philo
ex sacerdotali genere progenitus, & Josephus matathiæ filius. Philoni
quidem Judæo tribuitur liber inscriptus sapientia Salomonis. quod enim
Salomon in libro proverbiorum ænigmaticè et parabolicè prædixit de dei
filio, qui Patris sapientia est; Philo hoc in libro per easdem obscuritatis
Artes, id idem de eodem jam impletum docet. In hoc libro multa de
martyrum victoriâ, de animorum immortalitate, de Cœlesti gloriâ,
de Ecclesiæ Christi statu, déque universali Judicio. Ideirco S. Synodus
Nicena, hunc librum inter divinos codices retulit. Josephus verò, qui
cum magnâ laude locutus est de Joanne Baptistâ et Jacobo Apostolo in lib.
18. antiquitatum describens tempora Tiberii cæsaris, hæc de christo ipso
refert græcè. Hoc tempore Jesus sapiens vir (si virum eum dicere
fas est, erat enim mirabilium Patrator) multos quidem Judæos, multos

verò ex gentili cultu aggregavit. Christus hic erat. Hunc accusatione
primorum ex nostris virorum, cùm Pilatus cruci affigendum decrevisset,
non cessaverunt qui primò eum dilexerant. Apparuit enim eis tertium
diem habens, iterùm vivens, divinis prophetis hæc et alia innumera mira-
bilia prædicentibus. Hæc Josephus ille, quem Judæi maximum putant.

Philo et Josephus, qui licet græcè scripserint, Judæi tamen ambo
fuerunt, nisi ea quæ de messia prænuntiata fuerant, rectè intellexissent,
neque de Christo tam benè opinati fuissent, neque quæ de ipso dixerunt
tam verdicè retulissent. Hoc in loco observat galatinus, Post domini
resurrectionem Judæos in triplex genus fuisse divisos. quidam enim
videntes prophetarum dicta in eo consummata, fide et opere illi adhæ-
serunt, ut gamaliel senex fecit, cujus dicta apud Talmudistas magnæ sunt
autoritatis, quod et alii penè infiniti fecerunt, non de plebeiis aut
ignaris tantùm, sed de nobilioribus et sapientibus. Nam ut in Actis Apost.
scribitur, maxima pars sacerdotum obtemperabat fidei. Et horum non-
nulli multa de Christo miranda scripserunt, quorum opuscula adhuc
extant apud Judæos, qualia sunt ea quæ scripsit R. Haccanasch Nehemiæ
filius, qui cùm omnia Redemptoris n. gesta et miracula, prout oculis
viderat scripsisset, sic denique dixit: Ego haccanash sum unus ex illis
qui credunt in eum, & ablui me in aquis sanctis, in ejusque viis rectis
incedo.

Quidam verò eorum credebant ipsum quidem D.num fuisse messiam
illum, de quo prophetæ locuti fuerant, mosaïcas tamen observantias
deserere nolebant. Ii fide tantùm et non opere christo adhæserunt,
christum quidem confitentes, at in Judaismo perseverantes, qualis, ut vide-
tur, fuit Josephus & alii innumeri. Alii denique ex Judæis nec fide
nec opere christo adhærere voluerunt, indurati & cæcitate et pervicaciâ.

Aliqui volunt librum Talmud circa annum 300. post chris-
tum conscriptum esse. At picus mirand in Apologiâ ait, illum anno
150.mo virginei Partûs conflatum esse. galatinus verò id refert ad
annum à Templi 2.i incendio 120mum, docetque R. Judam Simeonis
filium, quem ob doctrinæ et probitatis excellentiam sanctum vocant,
totius Judaïcæ sapientum synodi decreto, legis prophetarùmque —
explanatores, ac scripta omnia, quæ cæteri doctores tum antè quàm post
Christi adventum, eatenus scripserant, in unum volumen complexum
esse, quod misna, idest iteratam lectionem: Anno autem 300.mo circiter
ab ejusdem templi vastatione, Rabbi Johanan assumptis sibi collegis,
ipsum misna, et quæcumque alia scripta habere potuit, in unum
colligens Talmud hierosolymitanum confecisse: Anno denique 436.
R. Asse unà cum Rabbi . . . . omnes superiorum scripturas in unum
redigens, ipsum quo nunc tota Judæorum regitur synagoga, Babylo-
nicum Talmud contexuisse. Est autem Talmud, concludit galatinus,
idem quod doctrina sive disciplinatio, commentoria priora omnia
ac statuta, et quasdam temporum historias complectens, opus pro-
fectò tam divinâ ac naturali, quam politicâ ac legali sapientiâ
undique plenum. Denique Talmud in sex primarias distinguitur

partes, seu ordines, quod in totidem misna prius fuisset divisa, cum non sit aliud, quam commentarium quoddam ipsius misnæ.

Inter hæc omnia, quæ hucusque ex tam insigni Autore de verbo ad verbum transcripsimus, non omittendum est id quod advertit, ubi quærit an Talmud à christianis recipi debeat. Ibi enim unam rem observat summi momenti et quæ multum facit ad nostrum intentum, uti patebit suo loco, cum scilicet monet Veteres Talmudistos infinita prope arcana figuris et ænigmatibus tradiderunt, quæ iis, qui ea non intelligunt, fatuitates & absurditates videntur; cum tamen innumerabilia arcana ad Messiam et ad veritatem catholicam spectantia in ipsis lateant; quæ juniores Talmudistæ hunc mysticum philosophandi morem ignorantes in ludibria & blasphemias converterunt. Hinc et plerique è nostris, dum hæc mysteria intelligere nequeunt, ea vituperare ac damnare præsumunt. Sic v.g. foramen à Deo relictum in Boreali cœli parte &c. Fatendum utique multa mala et turpia in Talmud de Jesu Nazareno dici, non tamen de Jesu nostro salvatore, sed de alio quodam referri. Quamvis multa inania, falsa et prophana, mixta veris, solidissimis et sacris arcanis reperiantur in Talmud, hæc non ideò sunt respuenda. Quapropter non sine divinæ providentiæ consilio factum est, ut Clemens quintus Pontifex max. sacro sancto approbante concilio instituerit, Talmudicos Judæorum libros, per fideles Hebraicam linguam callentes in latinum sermonem traducendos, atque christianis publice legendos esse, ut habetur in Clement. de magistris. Unde patet librum Talmud a christianis recipiendum esse quoad ea quæ bona sunt.

Quamvis constet ex modò relatis ab auctore tam perito arcanorum Talmudistarum, innumera mysteria Evangelica in eorum libris latere sub ænigmatibus et figuris ibi sine numero occurrentibus: nihilominus, ut idem Autor simul observat, Talmudistæ nostri temporis ut veritatem effugiant, nonnisi circa litteralem legis corticem versantur, omnes prorsus allegorias figurasque respuentes. Nam universus recentiorum magistrorum et juniorum Talmudistarum cœtus, tanquam omnino obcæcati, mentisque lumen penitus negligentes, divinorum eloquiorum nonnisi historicum litteralemque amplectuntur sensum. Veteres autem legis arcana nonnisi per spiritualem ac mysticum sensum exquirere soliti fuerunt. Quantum vero spiritalis sensus ad legis arcana indaganda, litteralem excedat, Talmudistæ sæpissime ostendunt, qui litteralem quidem sensum davar catan, id est parvam rem, spiritalem vero sive mysticum davar gadol, id est rem magnam esse aiunt. Hinc R. Moses circa initium libri Moré ait: Scito quod clavis intelligentiæ universorum, quæ prophetæ dixerunt, est intelligere parabolas et metaphoras, ac similitudines et ænigmata. Unde patet Talmudistas nonnisi per spiritalem ac mysticum sensum legis arcana considerasse.

His ex Pico, Reuchlino et Galatino observatis, juvat etiam quædam superaddere ex Kirchero, ejusdem cabalicæ facultatis scrutatore sagacissimo, qui in præfatione docti tractatus de cabalâ Hebræorum sic pronunciat. In Hebræorum ecclesiâ fuisse doctrinam quandam de Deo divinisque nominibus, de Messiâ humani generis Redemptore, de Angelis et dæmonibus, de admirandis quæ in hac mundanâ machinâ eluescunt, divinæ clementiæ et bonitatis operibus, a Protoplasto Adamo ore tenus filiis suis traditam, & in totam deinde successivam posteritatem diffusam propagatam que, in 2ª. classe fusè ostendimus. Quod si quis præsumptuosius negare ausus fuerit, is et SS. Patrum consensui, occultisque divinæ providentiæ semitis pari temeritate se contradicturum noverit. Qualis tamen illa fuerit, uti in tam inaccessæ antiquitatis tenebris occultum jacet, ita difficile quoque est ad veram ejus rationem, notionemque determinandam pertingere quantum tamen sagaci mentis scrutinio investigare licuit, et quantum ex Auctorum veterum monumentis, singula cum singulis combinando eruere potui, puto, imò sine hæsitatione affirmo, aliam eam non fuisse, nisi illam doctrinam mosaicam, quam ore tenus succedentibus sibi Judicibus traditam, Hebræorum Theologi Cabalam, id est acceptionem vocant, atque insignibus fæcundam sacramentis ægyptiorum (teste Clemente Alex.) mysteriis haud dissimilibus astruunt. Siquidem curiosissimos ægyptiorum chaldæorumque mystas, primorum Patriarcharum consuetudine usos, multa eorundem in sua penuaria traduxisse, is solus ignorare poterit qui mysteriorum hieroglyphicorum cum cabalicis affinitatem insignem non perspexerit. . . . . cum enim hebræorum mysteria, similia sint mysteriis ægyptiorum, id est perobscuris ænigmatum nodis intricata, variisque allegoricarum locutionum involucris tecta, veluti in abysso quadam latent, jure suo œdypum requirere videbantur, qui nodos solveret, caliginem detegeret, rebusque lucem afferret, atque sic tandem parallela quadam comparatione inter Hebræorum ægyptiorumque sapientiam instituta, una alteram illustraret, ac demum, quod intendimus, hieroglyphicæ doctrinæ veritas, tot veterum dogmatis comprobata propalaretur.

Suppositâ hac cabalæ Hebræorum Ideâ, à Kirchero in suâ præfatione prolatâ, non ineptè ab eo definitur, arcana divinarum humanarumque rerum facultas per mosaicæ legis typum allegorico sensu tradita, sive secretior Theologia mystica Hebræorum, cujus maximum et præcipuum arcanum est cabala, sive traditio decem sephiroth, seu decem nominum divinorum. Nam unanimi omnium Rabbinorum sententiâ, decem numerationes arboris sephiroticæ designant decem præcipua dei attributa et sunt veluti eorum Typi symbolici, vel mystica vestimenta: ita ut tres supremæ sephiroth, quæ juxta Cabalicos constituunt mysterium currus seu quadrigam divinitatis, videantur indigitasse mysterium sacratissimæ Trinitatis, sive tres dei hypostases, licet Rabbini vulgò nuncupare soleant tres Emanationes, illas tres altissimas numerationes constituentes sedem seu thronum, in quo, ut ait R. Isaac in commentario Jetsirah, sedet senelus sanctus senectus Dominus deus sabaoth. Septem vero inferiores sephiroth, quos opus fabricæ appellant, non designent nisi attributa dei connotativa et relativa ad extrà seu ad res creatas. Denique toti decem numerationum iconismo sephirotico superposita lucido-caliginosa figura Ein Suph, id est Infinitum et reconditum ens, designet ipsummet Deum nullius nominis seu attributi amictu vestitum, sed veluti

in abdito ac inaccesso deitatis recessu latentem, instar lucis splendidissimæ, unde omnis influxus derivatur, in singula ejus attributa seu divinas ejus perfectiones; et hinc in omnes creaturas tum corporeas tum spirituales.

Cum ergo maximum totius cabalæ arcanum sit illigatum decem numerationibus figuræ sephiroticæ, quæ est fons universalis omnium numerorum; totaque veterum hebræorum sapientia, præcipuè recondita sit in numeris, quis miretur sanctum Augustinum agnovisse omnia ferè divinæ Religionis mysteria tam in veteri, quàm in novâ lege sub numeris occultata et manifestata fuisse; eundemque cum S. Ambrosio, Boëtio affirmasse, numerum rerum creandarum animo creatoris principale exemplar extitisse; et in numeris exempla indagandarum rerum per intellectum solerter sapientes quæsiisse, existimantes scilicet rerum essentias esse numeris similes, siquidem numeri videntur habere quoddam esse æternum, saltem ratione divinæ mentis, sicut species et rerum Ideæ ac essentiæ, licet non quoad realem — extrà deum existentiam.

Cum præterea constet ex anteà observatis, sacram hanc hebræorum cabalam arcanis figuræ sephiroticæ numerationibus immixtam, ad ipsos perpetuâ ab Adamo et cæteris SS. Patriarchis traditione devenisse: quis dubitet ægyptios, græcos, Brachmanos, et ipsos sinos suorum pariter numerorum arcana mysteria ab illis non multum dissimilia, ex eodem pariter fonte seu origine habuisse. verùm quia sicut Hebræi in hoc fuerunt cæteris longè fœliciores, quod habuerint et servaverint diligentiùs sacras et sinceras legis naturalis et priscorum Patriarcharum traditiones, cum mysticis numeris veluti essentialiter connexas; Illi scilicet in suis cabalisticis traditionibus, allegoriarum, ænigmatum, et parabolarum plenis; hi vero in suis symbolicis et hieroglyphicis monumentis; et cùm utrique arcana traditionum suarum mysteria, et mysticos, sub quibus hæc latent, numeros, haud dubiè seorsim exceperint* certè inter ambas nationes quoad hæc omnia debet occurrere ferè integra ac perfecta conformitas, maximè circa intimum et reconditiorem sensum; è contra cum aliarum nationum traditionibus, non nisi paucissima veræ similitudinis vestigia, eaque sæpissimè aut impiis fabulis, aut abominandis narrationibus corrupta

* ex eâdem primævâ origine